
Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 69 [35,-56 8°]



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 69 [35,-56 8°]



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 69 [35,-56 8°]



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 69 [35,-56 8°]



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 69 [35,-56 8°]



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 69 [35,-56 8°]

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 69 [35,-56 8°]

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 69 [35,-56 8°]

35,-56. DA-Box
(LN bis 69)

BIBLIOTHECA REGIA HAFNIENSIS

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 69 [35,-56 8°]

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 69 [35,-56 8°]

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 69 [35,-56 8°]

IOANNIS BOCERI
CARMINVM

DE ORIGINE, ET RE=
bus Geſtis Regum Daniæ, & Du=
cum Holſatiæ, Comitumq;
Schouuenburgenſium,

LIBRI QVINQVE.

AD SERENISSIMVM ET POTENTISSI=
mum Regem Daniæ Chriſtianum,
III.

ANNO DOMINI.
M. D. LVII.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 69 [35,-56 8°]

EPIGRAMMA GEORGII SABINI.

SI data ſunt olim Danorum regna Pœtoe,
Scriptor ut illorum nomine Saxo refert,
Pauca quod in laudem ſcripſiſſet carmina Regis,
Interitu cuius Dania triſtis erat:
Qualia Bocero debentur præmia uati,
Carmina de Danis qui meliora canit:
Nec facit unius, ſed tot præconia Regum,
Quotquot bellipotens Dania marte tulit.
At quicunq; leges hæc carmina; talia certe
Sunt Elegis, dices, æmula Naſo tuis.
Copia diues ineſt, & florida gratia uerbis,
Sedato numeri mollius amne fluunt.

BIBLIOTHECA REGIA HAFNIENSIS

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 69 [35,-56 8°]

AD REVE-
RENDISSIMVM ET
Ampliſs. Dominum, Dominum Andream, Lubecenſem Antiſtitem, & Magnificum & generoſum Dominum, Iohannem Phriſium, Regis Daniæ ſupremos Cancellarios, & ſtrenuum & nobilem Dominum, Petrum Ochſium, Conſiliarium.

IOANNIS BOCERI IN REges Daniæ Procemium.

Magnanimi Proceres, rebus quos omne gerẽdis
Laſſat onus, regni celſaq; cura premit:
Quorum conſilijs nullis dolet obruta damnis,
Vndiq; cæruleis Dania cincta uadis:
Et quibus illæſam tranquilla ſorte ſalutem,
Commiſit patrij iuraq; ſumma ſoli:
Quos colis o Regum Rex optime, tuq; uereris
Et bene promeritos Dania fortis amas:
Admiſcere graui quod ſi decet ocia curæ,
Si datur & poſito læta labore quies:
Vos neq; ſi rerum ſeries, regniq; Senatus
Impedit, & denſo Regia preſſa pede:

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 69 [35,-56 8°]

PROOEMIVM.

Non graue ſit mecum paucis attendere, Muſa
Adferat imparibus quid mea uecta modis.
Illa peragrata tellure, Thuiscone quondam
Principe quæ felix, ac animoſa fuit:
Venit in Arctoas fatis cogentibus oras,
Inclyta quà magno Dania Rege uiget.
Sæpe feros hoſtes, toties elapſaq; ferrum,
Quærit ubi tutos exigat illa dies:
Quærit ubi nigræ ſolatia debita ſortis,
Atq; uiæ longæ præmia digna ferat.
Fallar an his etiam, quas illa tetendit in oras,
Mars furit, Aonias enſeq; turbat aquas.
Fallar an immiti ſors ærumnoſa dolore,
Perdet & hîc dubio credita uela mari.
Quicquid erit, Clio reliquas defende ſorores,
Hæc erit officij maxima cura tui.
Ipſe tuas leges, uenerandaq; iuſſa ſecutus,
Clarorum cecini ſplendida facta Ducum.
Si decet & meriti ſi reſtat gratia facti,
Adſere cultorem diua benigna tuum.
Effice ne iuſto noceat ſors dira labori,
Quæ ſolet immeritis ſæpe nocere uiris.
Et uos o Proceres, quos alti gloria regni,
Et manet æternum non moriturus honos:
Gratia ſi qua meis debetur digna Camænis,
Quod damus, & ſi non deſpicietis opus:
Munera mox Regi mea commendate potenti,
Vt ſtudium Muſæ comprobet ille meæ:

Fallor

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 69 [35,-56 8°]

Fallor an edoctus, quæ noſtris omnia Muſis
  Tradimus, hæc laudem ſint habitura ſuam.
Nam uario celebres dum ludunt carmine Vates,
  Quodq; placet, proprium quilibet urget opus:
Intereà claros nos alto pectore Reges
  Nitimur & magnos ferre ſub aſtra Duces.
Hiſtoriæq; fidem docta breuitate ſecutus,
  Pierijs retuli facta uetuſta ſonis.
Hæc mecum pulchris ut ſunt congeſta Camænis,
  Si quis es, ac auido pectore ſcire uoles:
Huc ades: aſpicies lapſo tot clara ſub æuo
  Facta, uerendorum fataq; mira Ducum.
Tuq; uel in primis Regum iuſtiſsime, cuius
  Hoc iuſſu cepi ſcribere nuper opus:
Ne pigeat priſcos patriæ cognoſcere mores,
  Et tot pro patrijs prælia geſta focis.
Hîc uarios caſus, meritas & præmia laudes,
  Atq; leges prauos fata ſecuta uiros:
Omne per exemplum decus hîc agnoſcere priſcum,
  Scire potes uarijs actaq; multa modis.
Hic cernes prima ductos ab origine Reges
  Quot tulit undoſo Dania clauſa mari.
Per quos ſit regnum, quibus & uirtutib. auctum,
  Per quos ſit propriæ facta ruina domus:
Qui mores, quæ uita fuit, qui laudib. olim
  Euexere ſuum celſa per aſtra caput.
Quos quoq; deſeruit, cognoſces, inclyta uirtus,
  Et quib. hos preſſit pœna ſeuera malis.

Aſpicies Reges magnis conatibus olim,
Qui geſſere domi, duraq; bella foris.
Hos tu, ſi ſæui feret inclementia fati,
Vt quoq; corrupta prælia pace geras,
Fortibus exemplis, & clara laude ſequeris,
Et priſci ſecli ſplendida facta coles.
Non ſecus euerſor, quam Dido condidit, urbis,
Cum uoluit dubias martis obire uices:
Acrius hiſtorias, & lapſi temporis annos,
Inſpexitq; tuos priſce Quirine Duces.
Hoc quoq; Dux Macedum magni ſectator Achillis
Fecit, & ingenti uictor in orbe fuit.
Duraq; corripiens Antonius arma Seuerus,
In quoscunq; ferox duceret illa Duces:
Ceu Phæbi tripodas, ſic lapſum gnauiter æuum,
Hiſtoriæ ueterem conſuluitq; fidem.
Temporis ó ſalue teſtis, uitæq; magiſtra,
Clara uetuſtatis nuncia, lucis honos:
Te pia Mnemoſine peperit, pater artis & uſus
Hiſtoriæ, clarius dicitur eſſe Deus.
Qua ſine perpetua rerum caligine preſſus
Nil habet, ulterius quid meditetur, homo,
Actaq; nil præter proprij qui nouerit æui,
Ille rudis ſemper dicitur eſſe puer.
Arripit & præſens nil præter bellua tempus,
Nec cum præteritis ſecla futura uidet.
Aſt homo iudicij, mentisq; capacior altæ,
Diſtat ab ignauis hac ratione feris:

Quod

Quod rerum cauſas, cauſæq; ſequentia cernit,
Et timet irati triſtia ſigna Dei:
Elapſumq; ſtatum rebus præſentibus æquat,
Venturum cautè concipit inde malum:
Totius hinc uitæ curſum, ſeriemq; probatam
Colligit, & poterint quæ nocuiſſe, fugit.
Talia ter felix è lapſis noſcere ſeclis,
Officij partem qui putat eſſe ſui.
Hi quoq; felices, quos ars illuſtrior effert,
Et uis ſiderio copulat alta polo:
Et ſuper humanas uires, ſenſusq; iacentes
Promunt non falſis abdita quæq; notis.
His natura fauet præſtans, uſusq; magiſter,
Humanumq; iuuant qualibet arte genus:
Scire nec elapſas, nec diuinare futuras
Res, hominis titulo dedecus illud erit.
Hiſtoriæ ueteres quemuis nouiſſe labores,
Et decet antiquis rebus habere fidem.
Scire decet quali ſeruet deus omnia ſorte,
Illud & è nihilo fecit ut orbis opus.
Scire decet primis ubi quondam uixerit annis
Prædita gens ſummi cognitione Dei.
Scire decet quales Eccleſia uicerit hoſtes,
Sit quibus & miſeris dilaniata modis
Scire decet noſtros ceu ſit ſeruata ſub annos,
In quibus & manſit, delituitq; locis
Scire decet quantis Superum prudentia curis,
Seruarit uarijs ſubdita regna plagis?

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 69 [35,-56 8°]

Scire decet quamuis quæuis Respublica factis
Creuerit, & quales nacta ſit illa uiros?
Quisquis es indomito qui pectore talia ſpernis,
Dic precor an non es? belua, truncus iners?
Truncus iners, aſinus, qui lapſos immemor annos,
Negligit & patriæ ſplendida facta ſuæ.
Cura tuendarum non illi prouida rerum,
Dentur honorata ſceptraq; nulla manu.
In media nec plebe ferox, nec degener ima,
Cerdones inter regnet at ille rudes.
Deniq; non hominum cætu ſit dignus, & inter
Degat Sarmaticos inſcius iſte lupos.
Et quamuis uarijs rodantur pectora curis,
Milleq; res homines, quas meditentur, habent:
Pauca tamen fragilis concedere tempora uitæ,
Hoc ſtudio facili quilibet arte poteſt.
Verum luxus iners, ſordens ignauia, torpor,
Ardor opum, discors alea, Vina, Venus:
Tempora ſurripiunt iſti tribuenda labori,
Ac ignara rudi pectora labe premunt.
At ualeant fuci, nec enim laudabile duco,
Immundes aurum commaculare sues.
Quos Sacer Aonidū chorus, & quos urget Apollo,
Fontis hyanthæi dulce ſubire nemus:
Vos procul a ſtolido præſtantia pectora uulgo,
Hiſtoriæ cultos uoluite ſæpe libros.
Quanta ſit utilitas, quæ copia fontis & uſus,
Qui uenit ex iſto flumine, ſcire decet.

Maior in antiquis ſplendet prudentia factis,
Deterius ſemper ſecula noſtra ruunt.
Qui ſapit, ex iſtis ſibi conuenientia ſumat,
Quod bene deuitet, quodq; ſequatur erit.
Tempus ab exemplis rerum documenta miniſtrat,
Qui uolet, è doctis hauriat iſta libris.
Scire uetuſtatis pulchrò monumenta labore,
Eſt dextrè rebus conſuluiſſe ſuis.
Hinc tibi, quid ſeruet, quid magnas perdat & urbes,
Et patet in dubijs norma ſequenda uijs.
Quidq; ſit incœptu fœdum, quid fine ſecundo,
Et careat uoti proſperitate tui.
Hiſtoria humanæ ſpeculum memorabile uitæ,
Et uelut in ſcena quæq; uidenda refert.
Et ceu naufragium dubias miſerabile puppes,
Res hominum uaria ſic agit illa uice.
Hîc ſcelus, hîc error, fraudes, mendatia cædes,
Aerumnæ, lites, uis fera, pœna, doli.
Hîc pia ſimplicitas uiolento læditur aſtu,
Cogitur abiecta multaq; ferre fide.
Sæpius inſidijs hîc laudatiſſima uirtus
Subiacet, & precio gloria, lausq; caret.
Sæpius hîc multos leuis imprudentia fallit,
Hîc probus, a prauis cogitur eſſe nocens.
Callidus hunc aliquis uerbis euertit, & aſtu,
Atq; uia miſerum de meliore trahit.
Impius hîc Mauors & ferro, ſæuit, & igne,
Miſcet terribili faſq; nefaſq; metu:

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 69 [35,-56 8°]

Hic quoq; Mercurij triſtis metuenda tyrannis,
Incautis mira calliditate nocet:
Sæpius & falſis rationibus omnia rumpit,
Hinc Mauors telum, quod iaculetur, habet.
Quæ mala cum miſerum diuexent ſingula mundum,
Et, dolor, immiti conditione premant,
Hinc quod uera fuit, liquet, execratio uocis,
Impie quæ pœnam, dixit, Adame lues.
Hinc tot ſudores uultus, ſpinæq; nocentes,
Inſidiæ uigilant hinc Draco dire tuæ:
Quisq; ſed ut uitium fugiat, rectumq; ſequatur,
Aggrauet & nullis ſeq; ſuosq; malis.
Eligat é priſcis monumenta ſalubria factis,
Dos erit hæc ſortis non renuenda ſuæ.
Territus exemplis, quæ crimina fœda ſequuntur,
Tentabit ſummo nil prohibente Deo:
Excitus & famæ, claræq; cupidine laudis,
Tentabit ſummo nil niſi digna polo.
Ah lapis, & ferrum, quem non illuſtria tangunt
Facta, quibus toto nomen in orbe datur:
Ante pedes niſi nil, quod habet, qui cernit, & odit
Dudum cum rebus tempora lapſa ſuis.
Hoc erat Antiphoten ſtolido ſuperare furore,
Paſcere uel pecudes trux polypheme tuas.
Hoc erat ingluuiem dapibus replere nefandis,
Et de Cyrcæis ſumere pocla cadis.
Vita breuis miſeris cœlo mortalibus alto,
Et datur innumeris meta terenda malis.

Vt nil cognoris, elapſa quid egerit ætas,
  Quid precor eſt ſubito quam potuiſſe mori?
Vt nil præuideas, exemplis doctus & uſu,
  Quid precor eſt nulla quam ratione regi?
Impia uis fati ſi quem ſubmergit, & urget
  Flebile difficilis ſortis adire iugum:
Felix ſi lapſi rationem colligit æui,
  Et paſſos magnos credit id eſſe uiros.
Impiger Euander patrijs eiectus ab oris,
  Dum lento Arcadicas remige laſſat aquas.
Fleuit, & exilium quæſtus mæſtiſsimus heros,
  Rumpere funeſtis fata uolebat aquis.
Obſtitit huic genetrix, & quid cariſsime, dixit,
  Fles fili, ſi te ſors inimica premit.
Siſte graues lachrymas, nec primus talia paſsus,
  Sors ea quam multos preſsit acerba uiros?
Inclytus hoc Tydeus, paſſus Pegaſæus Iaſon,
  Attamen exilium fortis uterq; tulit:
Paſſus Agenorides, tamen altam condidit Vrbem,
  Et Dux Labdacidas fortiter auxit opes.
Exempli genitrix ſalue liberrima cuſtos,
  His releuas nati triſtia fata tui.
Sic Teucer patriam fugiens, Salamine relicta,
  Per freta dum fratrem quærere iuſſus erat.
Lenijt exemplis luctum, patriſq; furorem,
  Et ſorti, & uentis uela ferenda dedit.
Nec pius Aeneas, nec tot ueterator Vlyſſes
  Viciſſent uerſis triſtia fata Deis:

Clara

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 69 [35,-56 8°]

Clara ſed exactos reputantes acta per annos,
Et maneat meritos gloria quanta uiros.
Fortius heroës caſus iuêre per omnes,
Spreuerunt dubiæ telaq; dira Deæ.
Iuſtus Ariſtides, Graium fortiſsimus Aiax,
Quotquot et inſignes fert bona fama uiros:
Vt rectum facerent, duros uicêre labores,
Virtutis celſas & coluere uias.
Dulcis ab elapſis hos mouit gloria rebus,
Et uinci meritis non potuêre ſuis.
Lucet in exemplis, animos ac æmula uirtus
Excitat, & tacitum gloria calcar habet.
Pellæum iuuenem ſic Lariſsæus Achilles,
Commonet, & ſtimulis fortib. acer agit.
Inſpicit hunc ſolum, ſolum miratur & illum,
Huic par & claris laudib. eſſe cupit.
Illius tumulum Phrygiæ ſub collibus Idæ,
Dum uidet, & ſtatuæ florida ſerta parat:
O quoties dixit, tua gloria uiuit Achilles,
Par detur factis nomen in orbe meis.
Pyrrhus in Oenotrias educens agmina terras,
Euerſurus opes maxima Roma tuas:
Nactus erat nomen, Priamum qui ſtrauit, & illi
Non impar factis nititur eſſe ſuis:
Tum quoq; cum Saxo claram percuſſus ad Argon,
Iuit ad Eliſios Rex animoſus agros:
Quod cecidit, doluit, primis inglorius annis,
Quodq; minus toto notus in orbe foret.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 69 [35,-56 8°]

PROOEMIVM.

Iulius hos Princeps, & primus origine Cæſar,
Ingenti ſtuduit ſedulitate ſequi.
Felices illi, ſed quod non lumine claro,
Nouerunt triplicis iuſſa uerenda Dei.
Plus tamen à uitijs alieni, fortibus auſis,
Laudibus & ſuperant tempora noſtra ſuis.
Sede ſed o Manes horum quacunq; morantur,
Illis perpetuo mollia fata precor.
Qualia ſed doctis debentur præmia Muſis,
Quæ celebrant certa facta uetuſta fide.
Talia quæ ſtudio ſeruant monumenta perenni,
An precor hæ precium promeruêre leue?
O ſalue Clio, Clius ſaluete ſorores,
Vos datis egregijs nomina clara uiris.
Omnia cum pereant, uos indelebile nomen,
Dulcis & ingenio gloria parta manet.
Fata piæ ſpernunt Libethrides ultima diuæ,
Has in nil iuris mors uiolenta tenet.
Ipſa licet Reges tollas, Regumq; triumphos,
Omne licet tollas, quicquid hic orbis habet:
Attamen Aonidas nunquam mors improba perdes,
Altius hæ fragili conditione uolant.
Nos etiam quarum diuino munere freti,
(Nil bene cum poſsis liuor acerbe) tace:
Luſimus armigeros Danorum carmine Reges,
Et uexi claros laude decente Duces.
Iamq; quot undiſono circumflua Dania ponto,
Inſignes Reges marte potente tulit:

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 69 [35,-56 8°]

Carmine tot noſtro clarum per ſecula nomen,
Aeternumq; decus, quale merentur, habent.
Sed non optatum capiet labor iſte fauorem,
Vſq; adeo tibi nil improbe mome placet.
Scimus, & hîc dices, tenui cur carmine Reges,
Et celebrem breuibus fortia facta modis?
Quemlibet ac Elegis libuit cur claudere paucis
Regem, qui dignus uoce Maronis erat?
Obtrectare mihi liuor deſiſte, fatemur
Hanc ueniam facto ſed tamen adde meo:
Sollicitas rapiunt diuerſa negotia mentes,
Inuenit & curas quælibet hora ſuas:
His quoq;, quos magnis præſtans Reſpublica rebus
Implicat, et ſtudio nocte dieq; premit.
Non uacat hiſtoriæ ſacros inuiſere fontes,
Cunctaq; cum rebus tempora noſſe ſuis:
Nos cum contrahimus, uarijs ingeſta libellis
Facta, quib. felix Dania nomen habet:
Hos placuit multum facili releuare labore,
Dum canimus breuibus quælibet acta modis.
Forſitan & multos proprijs oratio uinclis,
Et iuuat imparibus uincta Camæna modis.
Siue quod oblectat, mentiq; tenacius hæret,
Siue quod eſt numeris mollior illa ſuis.
Si tamen eſt aliquis (quod abominor) omne peroſus,
Quod certis numeris Muſa ligauit, opus:
Et neq; Pierides, & dulcia carmina nouit,
Ille ſtylo libros liberiore legat.

Vos quib. Aonius docto de pectore manat
Fons, & Cyrrhæas gurgite fundit opes:
Si qua meis inſunt, ut ſunt, uitioſa libellis,
Illud ſi temere Muſaq; fudit opus:
Hanc date, quam ueniam meruit ſtudioſa uoluntas,
Curret in optata ſic mea nauis aqua.
Hoc opus ut ſcripſi, de toto lucidus anno
Emenſus Phœbus ter duo ſigna fuit.
Omne nec hoc Muſis, ceſsit quoq; tempus amicis;
Affuit ingenio cura nec ægra meo,
Muſaq; dum toties res carmine luſit eaſdem,
Non ſemel impoſito pondere lapſa fuit.
Sæpeq; flens dixit, quid me pater improbe cogis,
Error & hoc audax quis tibi ſuaſit opus?
Gratia (ſed tenues Eurus ferat omen in auras:)
Verſibus accreſcet nulla, poeta, tuis.
Talibus admonitus cepto ceſſare labori,
Et potui calamos frangere pene rudes:
Sed ſtudium uigilans, ceſsitq; moleſtia famæ,
Quæ niſi poſt obitus æqua uenire ſolet.
Nec potui ſolitæ remorari frena Camenæ,
Quæ ſueuit Reges, & celebrare Duces,
Hæc aliquid potius quam nil molitur, & audet
Spernere iudicium Zoile maſte tuum.
Non ſecus ac magno cum ſorte Themiſtocle quondā
Ad bellum lectus Dux Adamantus erat:
Diſſuadens pugnam, timidis & uocibus orſus,
Obiecit forti talia dicta uiro:

Qui temerè pugnant, uirgis cæduntur, Athenis,
Hæc uiget, & ſtultos lex premit arcta uiros:
Ille refert, ſcimus, ſed nec pugnare uolenti,
Cinget honoratum partà corona caput.
Si quoq; non nobis res hæc ſuccedet, & omni
Laus erit à Muſis parte remota meis.
Dum tamen ingenij quantum fert gratia, tento,
Ingenij ueniam gratia iure capit.
Sed uos ó Proceres, quos noſtri ſumma laboris,
Alloquitur Muſæ curaq; fida meæ:
Veſtra uelut lati pacem prudentia regni
Seruat, & excellens auget ubiq; decus:
Conſilijs ueſtris patriæ uelut ardua terræ
Laus uiget, & priſcos uincere tentat auos:
Sic age præteritis decus hoc coniungite factis,
Et cupida doctas mente iuuate Deas.
Hoc nitor, & lapſi dudum labor inclytus æui,
Hoc uos Hiſtoriæ ſplendida fama rogat.
Illa diu miſerè nimijs erroribus acta,
Cimmerijs tenebris tectaq; tota iacet.
Præcipue tellus ſeptem ſubiecta trioni,
Hiſtoriæ fido lumine caſſa, dolet.
Attamen hæc totum uires extendit in orbem,
Formidanda ſui roboris arma mouens:
Quod ſcelus ó Muſæ, quæ uos & fata fugarunt?
Cur procul Arctoam deſeruiſtis humum?
Itala ſi meruit tellus ac Græcia laudem,
Cumq; ſuis rebus tempora nota refert?

Cur non

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 69 [35,-56 8°]

Cur non Arctoo poſitæ ſub climate gentes
　　Aeternum notæ promeruêre cani?
Has precor æternus triſti caligine ſqualor,
　　Et premet obſcura fama ſepulta fidê?
Hei mehi uix unus multis è millibus author
　　Contulit huc calami dona beata ſui.
Quem tulit, & gremio generoſa Selandia fouit,
　　Saxo decus patriæ famæq; digna ſuæ:
Si niſi Pieridum ſacro correptus amore,
　　Scripſiſſet largo patria facta ſtilo:
Inclyta confuſis lugeret Dania rebus,
　　Nec notus priſci temporis ordo foret.
Cumq́; ſuis rebus clari ſine nomine Reges,
　　Et patriæ multa parte iaceret honos.
Crantzius Hamburgi clariſſimus urbis alumnus,
　　Auſus in hoc etiam pandere uela freto,
Plurima difficili nobis monumenta labore
　　Rettulit, Arctoo dignus in orbe legi.
Hos præter gelidum nemo digreſſus ad axem
　　Hiſtorico cecinit facta uetuſta Stylo.
Eſſe ſcelus potuit, ſed quis ſcelus eſſe putauit?
　　Hæc quoq; cum ſimilis tempora torpor habet,
Quis precor hiſtorico iam tempora digna labori
　　Collocat, ac auide facta uetuſta legit?
Quis celebrat priſci monumenta ſalubria ſecli?
　　Quis patriæ quæ ſit laus, & origo rogat?
Quis rogat unde ſtant uariæ primordia gentes,
　　In quibus & maneant, exierintq́; locis?

Quod genus, & mores, quæ ſit cognatio, uirtus?
Quod uitæ ſtudium, qui pietatis amor?
Omnia quæ fas eſt manſuris tradere chartis,
Stulta ſed ó quid iam noſtra Thalia iubes?
Quilibet inſanis optat diteſcere curis,
Spem precij tollas, ars nihil omnis erit.
Ars lucroſa ſuos, ſed non ars docta magiſtros,
Dum nummis nimium quilibet inſtat, habet.
At magni Proceres, magni tria lumina Regni,
Ardua quos celſâ gloria ſorte beat.
Magna quibus magnæ uolitant præconia famæ,
Quos uehit Herculeus celſa ſub aſtra labor:
Eſtis qui magni tria propugnacula Regis,
Hector ut Iliacæ fida columna domus:
Cùm patriæ ſtudio cupitis prodeſſe fideli,
Sit ſcelus Aonias deſeruiſſe Deas.
Sit ſcelus annales ſecuro pectore priſcos
Antiquum patriæ nec meminiſſe decus.
Obruta mens toties rebus præſentibus errat,
Si bene lapſa capit ſecula, lumen habet:
Lumen habet per uos in multis Dania rebus,
Et ueſtris meritis gloria digna datur.
Hæc ſi Pierides, ſacrasq; fouebitis artes,
Cum pulchro uobis fœnore maior erit.
Dania ſic fractæ tellus optata faſelo,
Omne feret, Muſis condecorata, decus,
Laus erit hæc uobis celeberrima, gloria maior,
Credite, terrenos non manet ulla uiros.

IOANNIS

IOANNIS BOCERI
CARMINVM

*DE ORIGINE, ET RE*bus Geſtis Regum Daniæ, & Ducum Holſatiæ, Comitumq; Schouuenburgenſium,

LIBRI QVINQVE.

AD SERENISSIMVM ET POTENTISSImum Regem Daniæ Chriſtianum III.

DAN. DANIAE REX. I.

DAne pater gentis qua ſe non ſegniter ortam
Iactat in Arctois Dania magna plagis.
Vnde tuæ primo ducam primordia ſtirpis?
Quæue canam patriæ carmina digna tuæ?
Quæ uelut Argiuis generoſa Corinthus in oris
Dicitur in uarias ſecta fuiſſe uias,
Non coit, at gelido laté circundata ponto,
Fingitur in uarias amne ſecante plagas:
Quas intercipiens ceu faucibus Amphytrite,
Nomina dat titulis omnibus apta ſuis.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 69 [35,-56 8°]

Quas libet & certo ſe iungit limite terras,
Et ferit in curuis littora clauſa uadis.
Prima ſub eoas tractu quæ tenditur oras,
Antiquum gentis Scania nomen habet.
Siue Codaneo nomen tenet illa Peloro,
Danica quod uaſto circuit arua freto.
Siue ſit antiquis hæc Balthea dicta ſub annis,
Penè parem nobis res facit iſta fidem.
Namq; quod has magnis circundat fluctibus oras
Inde ſuum nomen Balthica Thetys habet.
Altera quà Zephyrus pluuialibus ingruit Auſtris,
Eminet omnigenis Iutia plena bonis.
Illa ſed à priſcis etiam num nobile Cymbris,
Hanc quia gens tenuit Teutona, nomen habet.
Hæc Cherſoneſus Ptolemeo Cymbrica fertur,
Quod Nereus uaſtas hic maris arctat aquas.
Scilicet à medio ſpectat tria littora ponto,
Stat quartus tenui peruius amne locus.
Quaq; ruit gelido Boreas infeſtus ab axe,
Lingua uelut ſpiſſum porrigit illa latus.
Non ſecus ac medio prælustris Achaia ponto,
Cingitur Aegeis Ionijsq; uadis.
Sic ea nauifragis circundata fluctibus ora,
Vndiq; ſtat ſicco non adeunda pede.
Scania ſic ortum, ſic Iutia reſpicit Auſtrum,
Eidorus liquidis qua fluit amnis aquis.
Laudatur regnis hic Dania magna duobus,
Et ueteri terras tollit honore duas.

Quas

Quas inter longo iacet inſula plurima tractu,
 Vnda repercuſsis quas leuis ambit aquis.
Hîc decus eximij generoſa Selandia regni,
 Arx & magnificas Hauffnia ſeruat opes.
Hîc quondam multis Roſchildia clara trophæis,
 Iſtius uiguit gloria prima ſoli.
Quidue tuos memorem præclara Fionia ſaltus?
 Quid Falſtræ liquidos quos fouet amne greges?
Hîc quoq; belligeris uicina Lalandia Cymbris,
 Quos Femeros rupto nomine uulgus ait.
At uix contiguas potero comprehendere terras.
 Quæ parent ſceptris Dania celſa tuis.
Orcades, & gelido procul hinc Islandia ponto,
 Hîc Thule ueteri nomine dicta iacet.
Hebrides, & Pharè, quis credat? regna ſuperſunt,
 Danica longinquis ſceptra ſecuta uijs.
Te quoq;, nota graui nuper Gronlandia caſu,
 Fama refert, huius ſceptra timere manus.
Dania ſed proprijs quacunq; recluditur oris.
 Non caret omnigeni fertilitate ſoli.
Illa boues, & præbet equos, paſtusq; frequentes,
 Frugibus & uincit rura Sycana ſuis.
Sed quid magna tuos extollam Scania piſces?
 Scania Nilæis anteferenda uadis.
Hybla tot haud ſalices, uel mergos nutrit Hydaſpes,
 Et neq; tot flores diues Hymettus habet.
Inclyta quot ſapidas haleces Scania gignit,
 Muneribus toto floret & orbe ſuis.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 69 [35,-56 8°]

Totaq́; nauifragum qua Dania conſpicit æquor,
Plurimus undoſo piſcis in amne natat.
Et cum pontus habet ſedatis ocia uentis,
Ingens per medias turba uidetur aquas.
Ars neq; currendi, neq; forma eſt omnibus una,
Hæc pinnis, cauda ſed regit illa ſalum.
Pars maris in latebras piſcantibus æmula mergis
Repit, pars toto uertice ſumma petit.
Hîc & Arionium delphinem ludere ſpectes,
Tempora cui pietas uiuere longa dedit.
Sæpeq́; diuerſis animalia mira figuris,
Profert Daniaci fertilis ora maris.
Hac & parte fretum non eſt piſcoſius ulla,
Immenſas quamuis ambiat orbis opes.
Propterea priſcis tellus hæc nota ſub annis,
Indigenis omni tempore plena fuit.
Cumq́; minus fallant annalibus eruta priſcis,
Seruet & antiquam candida fama fidem.
Cum Rhea ſuppoſita nondum premeretur arena,
Et natus cum non conditor urbis erat.
Hic Dan Daniaco tribuit qui nomina regno,
Marte potens, populis, imperioq́; fuit.
Ergo uetuſtatis ceu claram Dania laudem,
Integris nunquam uiribus orba, tenet.
Sic uigeat, ſeros illæſaq́; creſcat in annos,
Gentis & extendat facta decusq́; ſuæ.
Hinc ego iuſta breui præconia dicere uerſu
Aggredior, uires uincit at illa meas.

Muſaq́;

Muſaq́; tam magnæ dudum ſibi conſcia molis
Plorat, & hêi miſeræ quid mihi fiet? ait.
Moeſtaq; reclamat quid agam regionibus iſtis?
Non ſatis Aonias quæ coluêre Deas.
Hîc ubi barbaries priſcis incultior annis,
Ah miſerè noſtras dilacerauit opes.
Muſa quidem renuit, iuſtas ſed Dania laudes
Exigit, & famæ nomina digna ſuæ.
At quæ paſſa fuit, lapſis & geſſerit annis
Bella, nequit molli Muſa referre pede.
Scilicet immenſus latè qua panditur orbis,
Horruit Arctoæ fortia bella plagæ.
Omnia quæ dignis ſi coner dicere Muſis,
Ante maris guttas enumerare uelim.
At modo ſicut apis montana cacumina luſtrans,
Nil niſi fragrantem corripit ore thymum:
Sic nos Daniacis dum circumuoluimur actis,
Nitimur & magnos ferre ſub aſtra duces:
Pauca quidem, ſed inepta minus, iucundaq́; lectu
Proferet undeno noſtra Thalia pede.
Nòn ſecus extendunt pleni dum carbaſa uenti,
Pellitur in dubium pupis adunca fretum,
Protinus attenuat laxatis flamina uelis,
Remigio & tutas nauita quærit aquas.
Et uelut excelſas æquare cucurbita pinus
Dum ſtudet, amiſsis concidit ægra comis.
Sic ego ne præceps magnarum turbine rerum
Voluar, humi frutices, & loca tuta colam.

Ergo meos elegos ſi quis reprehendet, opusq́;
Hoc dicet claudos non decuiſſe pedes:
Ipſe Sophoclæo prodat ſua ſcripta Cothurno,
Vatis & Andini grande ſequatur opus.
Nos humiles altum nil poßumus: omine læuo
Concidit, impoſitum quod malè fertur onus.

HVMLVS REX II.

DAN ubi deſeruit mortales funere terras,
Commiſit natis Danica Sceptra ſuis.
Quos illi peperit Germano ſanguine coniunx,
Dictaq́; Teutonico nomine Gryta fuit.
Protinus & ueterum Rex Humblus more creatus,
Suſtinuit fratris triſtia uincla ſui.
Fortunæ patiens regnis & ceßit auitis,
Egit & in tenui tempora ſola domo.
Sic quoq́; Romulides in triſtia prælia fratres,
Vrbis dum condunt mœnia prima, ruunt.
Te, Reme, ſed clari uicit prudentia Regis,
Et regni proprias ſponte reliquit opes.
Qui niſi ceßiſſet crudeli morte peremptus,
Eſſet & in cara uix tumulatus humo.

LOTHERVS HVMBLI FRATER REX III.

PErdidit hunc ſtolidum ueſana ſuperbia Regem,
Dum tulit iniuſta ſceptra uerenda manu.
Militibus facilis, bellumq́; ſequentibus æquus,
Ciuibus egregijs durus & aſper erat.

Nulla diu

Nulla diu parto durat uis impia regno.
Rex & ciuili concidit iſte manu.
Sic Nero, ſic merita Caius Caligula morte,
Sic cadis à propria Domitiane manu.

SKIOLDVS LOTHERI FILIVS REX IIII.

HIC ſæuo melior pulcrà Virtute parenti,
Plenaq; perpetuæ nomina laudis habet.
Illius & teneris uirtus ſe protulit annis,
Editus ut nondum bis tria luſtra fuit.
Tempore quo Sylua cuſtode relictus opaca,
Inter dulciloquas errat inermis aues.
Obuius hîc illi porrectis unguibus urſus,
Inijcit horribili triſtia uincla feræ.
Scilicet Heroas metuit uirtute potentes,
Et niſi degeneres beſtia ſæua petit.
Quis putet? ut iuuenis ter quinq; peregerat annos,
Fortis & immenſo corpore firmus erat.
Maior & ætatem uirtus, & gloria uicit,
Et iuuenis miles grandis ad arma ruit.
Regibus antiquis niſi triſti ſponſa duello,
Nunc niſi per magnas illa tenetur opes:
Hîc oculis etiam ſpecioſæ captus Auyldæ,
Illius ut caſto poßet amore frui,
Strauit & ingentem confecit uulnere Scatum,
Illius & thalamos uirgo petita ſubit.
Huius & imperio ſeruitum Teutona tellus
Iuit, & inuito ſubditur illa iugo.

Rex pius utilibus patrias hic legibus oras
Extulit, & iudex omnibus æquus erat.

GRAM SKIOLDI FILI-VS REX. V.

PRimus hic infeſtis generoſos Sueones armis
Compulit imperij frena ſubire ſui.
Cauſa fuit belli generoſæ uirginis ardor,
Inuito rapuit quam ferus ille patri.
Scilicet antiquis uiguit mos ille ſub annis,
Et ſpecimen magnæ nobilitatis erat:
Aut rapere, aut pulcras bello ſibi quærere ſponſas,
Res cædem multis Regibus illa tulit.
Sic quoq; Sichtrugus pro rapta prælia gnata,
Dum parat, audaci cæſus ab hoſte cadit.
Subdita Daniacis tum primum Suetia ſceptris
Indoluit ſortis fata maligna ſuæ.
Quin etiam ſponſæ magno Gram captus amore,
Præfectum ſtrauit Gothia clara tuum.
Atq; Suarinus defecit morte: potentum
I nunc infœlix limina tange procus.
Strauit & octenos pugnæ diſcrimine fratres,
Flebilis o iſtis ſponſa petenda uiris.
Intulit hic etiam uiolentis prælia Phinnis,
Rex ubi Barbarico nomine Sumblus erat.
Intrat ut hoſtili Noruuegica rura cohorte,
Et fera Suibdagero bella, necemq; parat.
Hic cadit, ignotos tum primum Dania Reges
Viribus effractis ferre coacta fuit.

HADIN-

HADINGVS GRAMI FI-LIVS REX. VI.

SVetia, concreto Noruuegia proxima cœlo,
Dania piſcoſi fertilis ora ſoli.
Suibdager hæc primum gelido tria regna ſub axe,
Attamen inſtabili ſorte tenenda, tulit.
Illius effrenes & ſenſit Græcia uires,
Græcia Daniaca ſæpe petita manu.
Hic ferus ante Dunam bellis dum fulminat urbem,
Verſuta tales extruit arte dolos.
Cautus hirundinibus ſub tectis undiq; captis,
Efficit ingentem plurima turba gregem:
Protinus ardentes alis ſubnectere fungos
Imperat, ad nidos quæq; recurrit auis.
Iamq; ſub arenti conſidunt tegmine, fungos
Leniter aßiduo flamine uentus alit.
Nec mora, prorumpunt medijs incendia tectis,
Protinus huc gelidas quiſq; ferebat aquas.
Omnibus intentis ſtudio, mox aduolat hoſtis,
Diripit & facili mœnia uicta manu.
Mungit & argento Regem, uictorq; ſuperbus
Helleſpontiacos milite uaſtat agros.
Suibdagerum, repetit patrias dum fortiter oras,
Contudit ad littus Gothia magna tuum.
Vltor & illiciti regni, patriſq; perempti,
Adſeruit forti patria ſceptra manu.
Illius & cecidit fauſtis Aſmundus in armis
Vlciſci patrem dum cupit ille ſuum.

Huius

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 69 [35,-56 8°]

Huius at immiti dum bello filius Vffo,
Daniaci uaſtat littora culta maris:
Milite Suetiacis celerat feſtinus ab oris,
Dumq́; petit dubias per uaga luſtra uias:
Conſpicit horrendum magna formidine monſtrum,
Cui uiſus rigidus diraq́; forma fuit.
Vim parat: erigitur: nihil hic perterritus, enſe
Diſſecat immitis colla cruenta feræ.
Tempore ſed rerum quicquid tentauit ab iſto,
Inuertit triſti ſorsq́; Deusq; uice.
Sicut Agenorides dum Cadmus contudit anguem,
Pertulit iratos in ſua damna Deos.
Et fera, ſublato rigido Toſtone duello,
Hadingus patriæ ſuſtinet arma domus.
Nataq́; præclari ſeducta cupidine regni,
Indigna ſtatuit ſorte necare patrem.
Dumq́; ſtruit cænam, blandè genitore uocato,
Atrox abſtruſo milite tentat opus.
Ille ſibi, ſomno monitus, cauet, inſtruit armis,
Rurſus & occultos occulit arte uiros.
Atria mox adijt diræ funebria natæ,
Hoſpes & antiquo more uocatus adeſt,
Excipitur placidé, uultus & celat iniquos
Filia, ſacrilegum uix tacet ille ſcelus.
Tempus erat cædis: nudatos conſpicit enſes,
Protinus occultis innuit ille uiris.
Proſiliunt, natamq́; feram, generumq́; trucidant,
Vertitur in proprium pœnaq́; digna caput.

Heú

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 69 [35,-56 8°]

Heú facinus crudele nimis, Niſeia Scylla
Pœnæ debueras hic meminiſſe tuæ.

FROTHO HADINGI FILIVS REX. VII.

HVnc dolus, & mirũ tollit fraus plurima Regẽ,
Martiaq́; inuictum robur ad arma tulit.
Dicere difficile eſt ualido plus marte, uel aſtu,
Vicerit hic uarijs ſubdita regna plagis.
Primus hic eois uicit Curetas in oris,
Et fregit uires Ruſsia lata tuas.
Perfodit æquoreas ubi uafro pectore naues,
Exitiumq́; feris hoſtibus unda tulit.
Rurſus in occiduas hinc tendit milite terras,
Et Phriſios bellis, excidioq́; necat.
Bis ſua ueſanis ferus intulit arma Britannis,
Et faſtus domuit Schotia dira tuos.
Rex illi Suecus, bellumq́; ſororius Vbbo
Intulit, at ſignis ceſsit uterq́; ſuis.
Sæpius ut ualidas aſtu præuerteret urbes,
In caſtris illi mors ſimulata fuit.
Mox ubi ſecuros fiducia cœperat hoſtes,
Atq́; fidem fictis cum tribuêre dolis,
Obruit incautos, obſeſsaq́; mœnia ſcandit,
Eluſosq́; ſua perdomat arte uiros.
Flebile Suetiacos bellum molitus in agros
Occidit, & cæptum morte reliquit opus.

HALDANVS FROTHONIS FILIVS REX. VIII.

Huius

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 69 [35,-56 8°]

HVius ego Muſæ crudelia facta Tyranni,
Verſiculis etiam notificabo meis?
Fratribus hic cæſis ſibi Danica ſceptra ſubegit,
Egit & inſigni multa pudenda uiro.
Attamen, haud ſæuis mos hic ſolet eſſe Tyrannis,
Canus ad infernos dicitur iſse lacus.

ROE HALDANI FILI-
VS REX. IX.

QVæ uidet æquoreas præſtãs Roſchildia ripas,
Hanc primus fauſta condidit ille manu.
Bella laceſsitus Suecis ter geſsit in oris,
Illi bis felix alea Martis erat.
Tertia ſed reparans collectis uiribus arma,
Martis inexhauſtum concidit inter opus.

HELGO ROE FRA-
TER REX. X.

DEditus aſsiduo uitijs enormibus Helgo,
Inceſtu patrios dedecorauit agros.
Pronus & in Venerem, cæptaq; ferocior ira,
Et luxu patrias dilapidabat opes.
Quem ſcelus, & uitium recto de tramite duxit,
Felix in ueras ſi redit ille uias.
Sic uitij fugitans Helgo, rectumq; ſecutus,
Euexit patriæ facta decusq; ſuæ.
Hundingi manes & diris intulit umbris,
Fleuit & extinctum Saxona turba Ducem.
Regnaq; deuicto poſsedit Suetica Rege,
Fraternas ultus Marte fauente uices:

Dicitur

Dicitur & primæ reputans delicta iuuentæ,
Ex animo miris ingemuiſſe modis.
Moeſtus & excedens regno, patriaq́; relicta,
Oſſa peregrinꝰ condidit exul humo.

ROLPHO HELGONIS FILIVS REX. XI.

ARdua Rolphonis uirtus, & gloria rerum,
Et mens ſydereo iuncta benigna polo.
Inceſtum patris cælant, ortusq́; pudendos,
Quæ uincis meritis inclyte Rolpho tuis.
Regulus huic cedit, quamuis patientior unus,
Inter Romulidum dicitur eſſe genus.
Hic etiam ſumptis Rex audaciſſimus armis,
Et patiens mira dexteritate fuit.
Suetiacó genetrix eius dum nupſit Atislo,
Cauſa necis ſponſo Danica nupta fuit.
Scilicet ingluuiem, diros exoſaq́; faſtus,
Cum niſi collectas ſponſus amaret opes:
Rolphoni genetrix regem, gazasq́; potentes
Prodidit, aſtutis has rapit ille dolis.
Efferus hinc bello Regem deuicit auarum,
Subdidit & patrio Suetica regna iugo.
Felix o nimium felix, affine Suedo,
(Ah malefida ſoror) ſi caruiſſet, erat.
Scilicet inſtinctu, diris & coniugis auſis,
Turpiter hic illi fata ſuprema tulit.
Et cecidit medijs Suecorum fraude ſub annis,
Et menſæ ſtructas cæditur inter opes.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 69 [35,-56 8°]

Dirus Hiartuarus ſublato Rege triumphans,
Prœmia pro tali crimine digna tulit:
Rurſus enim perijt, qua Rex, confoßus in hora,
Vltus & eſt carum Vuigo fidelis herum.
Hoſtiles audax inter clarißime turbas,
Quanta manet nomen gloria Vuigo tuum.

HOTHERVS REX SVETIAE CAESO Rholphone utrũq; regnum accepit Rex. XII.

OCcidit inſignis triſti cum uulnere Rolpho,
Orba ſuis Ducibus Danica terra fuit.
Suetia cumq; iugum fato cogente ſecuta,
Ad patrios fundit uota preceſq; Deos.
Nec mora (quam parti leuis inconſtantia regni.)
Traxit de Sueca colla ſuperba manu.
Danorumq; ferox Hotherus Marte fugatus,
Ad patriæ uictus rura pudore redit.
Viribus aſt iterum lectis, animoq; reſumpto,
Danica bellator rurſus in arua ruit.
Hic ubi fictitij Balderi prælia Diui,
(Legerat hunc Regem Danica terra ſuum.)
Suſtinuit, dubijſq; diu uictoria pennis,
Bis ſenis horis inter utrumq; uolat:
Deniq; Balderus ſublatus uulnere, fata
Tollere mendoſum non timuere Deum.
Hunc quoq; Gelderus diris petit impiger armis,
Qui tenuit ualida Saxona ſceptra manu.
At penitus patrio cecidit cum milite uictus,
Dum negat indecorem corripuiſſe fugam.

Illius priſco cineres Hotherus in æuo,
Et coluit cæſi nota ſepulchra Ducis.

RORICVS HOTHERI FILIVS REX. XIII.

BEllicus occubuit canis Hotherus in annis,
Danica cum iuuenis Bous in arma ruit.
Curetes fortes, & Semnones arma minati,
Eripuêre fero libera colla iugo.
Quin etiam Sclaui ſpem libertatis adepti,
Danica collecta littora puppe premunt.
Roricus at ſæuæ confringens robora gentis,
Dum negat impoſitæ ferre tributa manus:
Milite completas produxit in æquora claſſes,
Diraq́; terreſtri tendit in arma uia.
Tota ſed immiti res componenda duello,
Dum fuit, in pugna miles uterq́; cadit.

FENGO REX. XIIII.

ABſtulit hic proprium crudeli uulnere fratrem,
Illius & thalamos ſceptraq́; celſa ſubit.
Natus at ulturus ſublati fata parentis,
Triſtia cum uario miſcuit arma dolo.
Eluſitq́; feri cautus ſcelus omne Tyranni,
Dum rudis, effcta menteq́; ſtultus erat.
Poſtremo ſtructis penitralia regia flammis,
Et ferus immenſas igne cremabat opes.
Vritur hîc Fengo: pollutus crimine, iuſtos
Sentiet ultores in ſua fata Deos.

VVICLETVS REX. XV.

AEmulus Ambleti, Martiſq; cupidine feruens,
Attulit immerito fata ſuprema Duci.
Quem licet aſpexit diro ſors lubrica uultu,
Ille tamen ſuperis æquus honore fuit.
Et niſi ſors illum caſu iactaſſet iniquo,
Aut aliqua durum parte leuaſſet onus:
Herculis æquaſſet claris uirtutibus acta,
Et fama toto clarus in orbe foret.
At licet hunc diris pugnans oppreſſerit armis
Vuicletus. patrijs & ſpoliarit agris:
Ille tamen duri poſt tædia plurima belli,
Egit pacatos Marte ſilente dies.

VVERMVNDVS FILIVS VVICLETI REX XVI.

SVEones imperio fortis dum rexit Atislus,
Inuaſit fines Iutia culta tuos.
Frouuinumq; Ducem letalibus intulit umbris,
Teq; premit forti Dania magna manu.
Reprimit hunc, profugum patrias et cogit ad oras,
Militis exciſa parte redire ſui.
Victor & abiectis Vuermundus Sueones armis,
Compulit indecori uertere terga fuga.
Integer hic multos ſine Marte peregerat annos
Illius & felix prima iuuenta fuit.
Excipit at ſenium fera ſors, & magna malorum
Congeries, curis ultima fata grauat.
Quin oculis ſero dum uixit captus in æuo,
Huic tulit à patrijs prælia Saxo focis.

Tutus

Tutus at in longos ceu uitam duxerit annos,
Expediam, uerſu nomen & Vffo feres.

VFFO VVERMVNDI FILIVS REX XVII.

Quid te magne Gigas, tua miraq; fata canẽdo,
Conabor cultis enumerare modis?
Huic ſors inſolitos conceßit corporis artus,
Maior & humana parte uidendus erat.
Illius. (occultas ſed habet prudentia uires)
Acta fuit miris prima iuuenta modis.
Stultus, & elinguis, rudis, intractabilis, excors,
Nec ſceptri dignus uiſus honore fuit.
Sub tamen abſurdo latuit ſolertia geſtu,
Inq; rudi uirtus pectore maior erat,
Ianq; parens cæcos degens ignobilis annos,
Saxonicæ timuit bella ſeuera manus.
Hoſtis adeſt, Regi mandataq; triſtia portat,
Pugnet, uel patrijs egrediatur agris.
Siue ſinat carum forti cum Saxone gnatum,
Cominus horribiles Martis inire uices.
Sic Saxo: gelida cunctis formidine ſanguis
Conſtitit, & dirus contulit oſſa pauor.
Dumq; tacent triſtes, dicendi poſtulat Vffo
Tempus, & ad proceres uoce Sonorus ait:
Dicite uos patri fandi quod tempore gnatus
Poſtulat, & liceat non reticenda loqui.
Quod petit, hi referunt Regi: triſtißimus Ille
Irriſum duris ſe putat eſſe iocis:

Et medios inter luctus, præſensq; periclum
Incipit, & lachrimis penè ſolutus, ait.
Me miſerum, ſæui ſat erat legatio belli,
Vexor ab indigenis hac quoq; parte meis.
Scilicet elinguis iam fandi tempora gnatus
Poſtulat: o regnis ſors inimica meis,
Inſtat hic: & uocem cunctis mirantibus, orſus
Iſta refert cultis uerba diſerta modis.
Hactenus ô genitor noſtri fiducia regni
Te penes, alterius res modo poſcit opem.
Dum licuit ſimplex taciturno pectore uixi,
Conſilio tutus Rex uenerande tuo.
Nunc quoniam uires tibi non reuocabilis ætas,
Abſtulit & mentis floridioris opes:
Tempus adeſt, opibus, regnoq; potitus auito,
Auxilio uigeas tutus & ipſe meo:
Ergo nec oblatam pater optime denego pugnam,
Adſumus, en noſtro corpore robur ineſt.
Huc mihi ſiſte duos uno quos, Saxo, duello
Interimam, uirtus ſi niſi fallit, ait.
Dixerat: at lætum tollebat Saxo cachinnum,
Ille refert, riſus mox tibi mœror erit.
Protinus ad pugnam fido comitatus Athleta,
Rex duplici pollens robore, Saxo uenit.
Irruit, & binos uno certamine fudit,
O Saxo riſus fata ſiniſtra tui.
At uelut expectans reducem de Colchide gnatum,
Aegeus excubias littore mæſtus agit:

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 69 [35,-56 8°]

Si minus impoſitis fulgerent lintea ſignis,
　　Præceps infidis exciperetur aquis:
Sic quoq; VVermundus turbatus, & ultima plorans
　　Fata ſuæ uitæ, difficilemq́; necem.
Si ſors diſparibus ſuperatus uiribus Vffo,
　　Danica Saxonico ſubderet arua iugo.
Ponte ſub exiguo iuxta lætale duellum,
　　Hæſit in æquoreas præcipitandus aquas.
Vffo ſed egregius tanto certamine uictor,
　　Sollicito ſoluit Danica caſtra metu.
Cumq́; pius genitor uitales clauſerat auras,
　　Subdidit imperio Saxona ſceptra ſuo.
Quiq́; uidebatur regno uix commodus uno,
　　Iam duo bellaci uictor ab hoſte tulit.

DAN. II. VFFONIS FILIVS REX. XVIII.

Filius exegit turpes inglorius annos,
　　Alter & in luxu Sardanapalus erat.
Illius iniuſto rabies ſeuectaq; faſtu,
　　Miſcuit in patrio faſq́; nefaſq́; ſolo.
Sors homines uaria quam uoluit imagine, natus
　　Egregij patris degener ille fuit.
Nec decus, & famam, nec liquit germine prolem,
　　Quæ patrios æqua lege gubernet agros.

HVGLETVS REX. XIX.

Hic quanq̃ dubia duxit ſua ſtemmata gente,
　　Attamen egregijs laudibus auctus erat.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 69 [35,-56 8°]

Pyratas fauſto deuicit Marte nocentes,
Finibus egreſſos Suetia clara tuis
Ogrinumq; ferox, & ſæuum uicit Homethum,
Illicitè uarias dum populantur opes.
Cætera difficilis longa ſub nocte uetuſtas
Occulit & nullo carmine nota patent.

FROTHO II REX XX. COGNOMENTO VEGETVS.

EGregio Vegetus dictus de corpore Frotho,
Belliger, & ſumpto Marte ſecundus erat.
Inq; tuos tendens Noruuegia frigida fines,
Quinq; bis attriuit ſtrenuus enſe uiros.
Quiq; fuit dictus nullis ſuperabilis armis,
Illud & à ſummis munus habere Dijs.
Aſtuta grandem proſtrauit fraude Rogerum,
Cultoremq; nihil numina uana iuuat.

DAN III REX XXI.

DVM tulit hic teneris regalia ſceptra ſub ānis,
Editus in lucem uix duo luſtra fuit.
Saxo rebellantes tum mouit in agmine turmas.
Vaſtat & hoſtiles irriquietus agros.
Strenuus & ualidas numerat dum forte cohortes,
Edidit hæc multis aſpera uerba minis:
Saxonas aut uincet, uel iuſtum uicta tributum
Exoluet ſceptris Dania magna meis.
Mouit belligeros tam dira ſuperbia Danos.
Nec fracti tantis occubuêre minis

Et pri-

Et primum patrijs educunt agmina terris,
Et uada traijciunt piſcifer Albi tua:
Sternitur hîc Saxo. ſæuoq; quod obtulit hoſti,
Heu pudor, indigno ſubditur ille iugo

FRIDLEVVS CELER COGNOMENTO REX XXII.

DAanicas dudum bellax Holandia leges,
Imperijq; iugum lene ſecuta fuit.
At leuis exorto tellus commota tumultu,
Patrono fecit triſtia bella ſuo.
At Celer immiti bellum finire duello
Dum cupit, aduerſo proterit enſe duces,
Inde tuos ſuperat candens Hyberrnia ciues,
Et Dyſlinæ gentis mœnia uaſta capit.
Illius & ſæuum lanoſa Britannia bellum
Ingemuit, multis euacuata uiris.
Integer, & pariter non una callidus arte,
Intulit hic patrio multa trophæa ſolo.
Et penitus ſæuos domuiſſet Marte Britannos,
At Celerem celeri mors tulit atra pede.

FROTHO III FRIDLEVI FILIVS REX XXII.

HHeu male, q̃ teneris regalia ſceptra ſub annis
Summa uel imperij cura tuenda uiget.
Dum lis, impietas, & amor ſceleratus & omne
Rege uiget tenero non prohibente nefas:
Dania ſic uitijs hoc tempore plena nefandis,
Perdidit antiquum penè ſepulta decus.

Regis in auxilium donec poſcentibus annis,
Venerat huc alia fortis Ericus humo.
Fortiter hic ſontes punit, uiciumq; remouit,
Adfuit & Regi fidus in arma comes.
Hic fera Vandalicæ confregit robora gentis,
Vicit & in multis noxia caſtra locis.
At Rex ut teneros ætatis duxerat annos,
Aptus & horriſoni Martis ad arma fuit:
Protinus infeſtos bellis naualibus Hunos
Contudit ad littus Sarmata dire tuum.
Cum maris, arma, uiros, truncataq; corpora uoluens
Turbidus attritis alueus iret aquis.
Nec minor hæc ſtrages iſta, qua fortiter olim
Condidit in Latijs gens ea uicta plagis.
Hinc Rex Noruagios mittit ſub iura rebelles,
Atq; reos ortæ ſeditionis agit.
In quoq; bellaces armata claſſe Britannos
Nauigat, inſtructis excipiturq; dolis.
Ille dolos alio ſed mox ulciſcitur aſtu,
Perderis & meritò fraude Britanne tua.
Ceſsit & illius ualidis Hybernia ſignis,
Captus opum diues Rex ibi Cepus erat.
Hinc placidè patriam ter denis Frotho ſub annis
Rexit, & elapſas ſedulus auxit opes.
Tempore quo mundi ſpes unica, Chriſtus Olympo
Labitur, è pura uirgine natus homo.
Senſit & in pàtrijs Rex aurea tempora terris,
Expers ſolliciti, Marte ſilente, metus.

Dumq;

Dumq́; polo miſſa floreret Dania pace,
Et tempus felix, & ſtatus omnis erat.
Nullaq́; dum nocuo ualuit uis impia furto,
Incuſtoditæ nec raperentur opes.
Rex ingens aurum ſepem ſuſpendit in altam,
Suſpectam populi ſollicitatq́; fidem.
Fæmina ſed magicæ quædam doctisſima fraudis
Hoc nato ſuadet præripuiſſe ſuo:
Protinus ad pænas cum matre uocatus acerbas,
Vana fuit miris pæna ſed iſta modis:
Rex aderat: ſolitas mox fœmina præparat artes,
Et gnatum uitulum, ſe facit eſſe bouem.
Dumq́; ſedet uiridis ſenior ſub ceſpite campi,
Suſpicit & formæ triſtia monſtra nouæ:
Bos ruit, & cornu regis latus impete uaſto
Frangit, & ex illo uulnere læſus obit.
Exitus indignus, qui tot fera bella ſubegit,
(Horrendum) magica ſtratus ab arte, cadit.
Defunctum Dani diuinis laudibus æquant,
Et tanti lugent noxia fata ducis.

HIARNVS REX. XXIIII.

FRothoni magno gens Danica iuncta fauore,
Talia concordi fœdera uoce ſubit.
Qui magis extinctum laudaret carmine Regem,
Daniaci caperet ſceptra uerenda ſoli.
Inſtabant omnes, & erat tum quisq́; diſertus,
Laudibus & regem ſumma ſub aſtra uehunt.

Hic canit infeſtos ualidè quam triuerit hoſtes,
Quæq; peregrinis geſſerit arma locis.
Ille ſed hunc meritis Dijs immortalibus æquat,
Quam fuerit ueri, iuſtitiæq; tenax.
Regis at in tumulum uates breue carmen Hiarnus
Condidit, & uulgus quatuor iſta refert.
Frothonem Dani quem longum uiuere uellent
Per ſua defunctum rura tulere diu.
Principis hoc ſummi tumulatum ceſpite corpus
AEthere ſub liquido nuda recondit humus.
Carmina quæ uulgi plauſu, procerumq; probata,
Sceptrorum uati promeruere decus.
Ille tulit regnum tenui pro carmine, uates
Iſtius, haud noſtri temporis eſſe uelim.
Quæq; fuit Graijs, & barbara dicta Latinis,
Terra tulit uati præmia tanta ſuo.
Ennius, euictis retulit qui nomina Pœnis,
Dum laudes celebrat claraq; facta Ducis,
Emeruit uiuus ſtatuam, fatisq; ſoluto
Præconi funus Scipio grande tulit.
At uati regnum tribuit cum Dania, laude
Non eſt inferior Roma ſuperba tibi.
At uiguit Muſis iſto Sincerior æuo
Gloria, nec uirtus ulla ſepulta fuit,
Tunc hilares uates, re ſufficiente, ſolebant
Ante focum plenos euacuare cados.
Vndiq; nunc triſtes, re deficiente, uagantur,
Et uilem uapam tempora noſtra negant.

FRIDLEVVS II FROTHONIS FILIVS REX XXV.

HIC procul eois miles degebat in oris,
Ruſsia qua multis mercibus ampla uiget.
Nec mora, cum carum ſublatum funere patrem
Repperit, ad patrios reſpiciebat agros.
Hic ubi ſuppoſitum pugna proſtrauit Hiarum,
Qui tenui regnum carmine nactus erat.
Dumq́; thorum natæ renuit, deuicit Amundum
Rex tunc Noruagicos ille tenebat agros.
Alter Agenorides quoq́; ſtrauit fortiter anguem,
Et cuſtoditas abſtulit acer opes.

FROTO QVARTVS FRIDLEVI FILIVS, COGNOMENTO LARGVS, REX XXVI.

OMnibus his carus, laudisq́; cupidine feruens,
Dictus & haud falſo nomine Largus erat.
Bis ſex ille puer nec dum confecerat annos.
Dum premitur bellis Saxonis ora tuis.
Saxonas at uictor domuit, iuſsitq́; rebelles
Arma cruentata ſumere nulla manu.
Huius erat belli robur, ſociusq́; laborum.
Quem Starcaterum patria lingua uocat.
Saxonicum ſtrauit magnis qui uiribus Hamam,
Hamburgi quo nunc mœnia nomen habent.
Pyratas Frotho domuit, uicitq́; latrones:
Atq́; maris tutas præſtitit eſſe uias

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 69 [35,-56 8°]

Ille ſub eois & formidabilis oris
Preßit Daniaca Rußica regna manu.
Vsq; ſed ad patrios ſequitur cum Saxones agros,
Combuſtus turpi proditione fuit.
Libertatis amans, nullaq; domabilis arte,
Non timuit tantum Saxo ſubire nefas.
Inuidiam pulchra ſed qui uirtute ſubegit,
Sic minimé dignus Frotho perire fuit.

INGELLVS FROTHONIS FILIVS REX. XXVII.

PERdidit hic molli regalia tempora luxu,
Illi militiæ cura nec ulla fuit.
Nec ratio conſtans, nec laudis amabile nomen,
Huic ſerum patrio nomen in orbe tulit.
Nec patriæ clades ultus, maneſq; paternos,
Crimen erat, patrij flagitiumq; ſoli.
Et qui Saxonico genitorem perdidit igne,
Illius (indignum) ſuſtinet eſſe gener.
Daniacam rediens ſed Starcaterus in aulam,
Quo ſteterat regni uindice tuta ſalus.
Mollitiem culpat turpem, moreſq; ſiniſtros,
Regis & incenſum pectus ad arma mouet.
Protinus obtruncat leuiros, ſacra iuraq; menſæ
Sic, inquit, patri ſunt uiolata meo.

OLAVVS FILIVS INGELLI REX. XXVIII.

AEmula poſteritas clarum ſubduxit Olauum,
Nullaq; præclari rettulit acta ducis.

Sceptra

Sceptra ſed attribuit geminis regalia natis,
Hic terræ, uaſti Rex maris alter erat.
Iſta quid in gelido fecerunt tempora ponto?
Ne pigeat tenui Muſa referre mora.
Tum meruit ſummam turpis pyratica laudem,
Qui rapere & potuit plurima, fortis erat.
Hoc exercitio regali nomine digno,
Quilibet immenſas accumulabat opes.
Nec minus, immenſi ſulcans uada cærula ponti,
Mercator tutus, quam ferus hoſtis, erat.
Ergo maris uaſtas quicunq; tuliſſet habenas,
Tutus in admiſſo crimine latro fuit.
Et laudanda tulit, tulit & culpanda uetuſtas,
Noſtra ſed o recta pergite ſecla uia.

HARALDVS OLAVI FILI-
VS REX. XXIX.

QVisquis es o ſuperũ meritas pro crimine pœ-
Exige, fraterna concidit ille manu. (*nas*
Atq; uelut regno pulſus Cadmeius heros,
Peſſima non meriti ſors Polynicis erat:
Sic quoq; fraternis ſtimulis, iraq; petitus,
Pertulit indignas corde dolente uices.
Poſtremò tacitè, ſic fratre uolente, peremptus
Iuit ad Elyſias flebilis umbra plagas.
Protinus hanc Minos ſquallentem uulnere cernens,
Cuius, ait, ſunt hæc uulnere facta manu?
Ille refert fratris: ſumpta mox ille tabella,
Inſcripſit ſtygio crimina tanta foro.

Frotho

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 69 [35,-56 8°]

FROTHO V. HARALDI FRATER REX XXX.

AH miſer aßiduè quem conſcia crimina pulsant,
Et ſuperum ſentit grande furoris onus.
Ille ſuam cunctis pœnam timet anxius horis,
Et nihil in tota mente quietis habet:
Criminis ultores & quos putat eſſe peracti,
Tollere de medio qualibet arte ſtudet.
Six etiam fratris rex Frotho perdere gnatos
Nititur, at pueris ſorsq́; Deusq́; fauet
Inq́; caua, patrijs procul arcibus, ilice clauſi,
Ceu catuli longos delituere dies.
At cito cum geminis bello fuit aptior ætas,
Vlciſci patriam tentat uterq́; necem.
Balla parant patruo, magnis & fortiter auſis,
Vltrici perdunt regia tecta face.
Vritur hic Frotho, pariterq́; miſerrima coniux,
I nunc iniuſtas pollue cæde manus

HALDANVS II HARALDI FILIVS REX XXXI.

INfelix tellus cum fortes otia Reges,
Et ſpernunt pacis floridioris opes.
Et partis inhiant, captiq́; cupidine lucri,
Sollicitant terras, ſollicitantq́; fretum
Sæpè latrocinijs Hollandica rura cruentans
Haldanus raptas uictor abegit opes.
Milleq́; prædantes produxit in æquora puppes
Nec tellus tutas, nec dedit unda, uias.

Et Suecum

Et Suecum uicit generoſo milite regem
 Illi qui patrio ſanguine iunctus erat.
Illius at gnato dum bellum mouit Erico,
 Vincitur & celeri cogitur ire fuga.
Aeger & Helſingæ repetens confinia terræ
 Littora, dat medica membra leuanda manu:
Ille ſed integras ubi ſenſit corpore uires
 Argua trux iterum miles ad arma uenit.
Occupat & celſi ſaxoſa cacumina montis,
 Anguſtas infra rupe ſecante uias:
Huc ubi coniunctis hoſtis dum præterit armis
 Nec putat infeſtas hic latuiſſe manus:
Hic ferus exciſi dum quaſſat culmina montis,
 Hoſtiles frangunt ſaxa uoluta manus.
Victor & hoc aſtu ſibi Suetica regna ſubegit,
 O gnarum mira calliditate uirum.
Fallere non ſcelus eſt hoſtem, quis in hoſte requirat?
 Anne cadat iuſtis uiribus, anne domo

HARALDVS II. HALDANI FRATER REX XXXII.

HIC ſine ſanguineo tempus traducere bello,
 Et poterat molli pectore pace frui:
Sed nihil eſt homini firmum: uictoria fratris
 Illi cauſſa necis pernicioſa fuit.
Nam pulſus patrijs generoſus Ericus ab oris,
 Danica non ſegnis rurſus in arua ruit.
Hic cadit aſſumptis ad pacem pronior armis,
 Et uictus patrios liquit Haraldus agros

Impger

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 69 [35,-56 8°]

Impiger Haldanus fratrem dum nouit ademtum,
Eduxit Suecis agmina fida plagis.
Inq́; mari rurſus forti congreſſus Erico,
Occubuit forti Suetica turba manu.
Rex uinctus, ſyluas procul & delatus in altas,
Membra dedit ſæuis dilaceranda feris.

VNGVINVS GOTHORVM Rex, cui Haldanus moriens regnum Daniæ teſtamento legauit. Rex. XXXIII.

HALdanus moriens peregrino Danica Regi
Sceptra dedit forti ſuſcipienda manu.
Hic fera magnanimos ducens in prælia Gothos,
Illi ſyncera laude probatus erat.
Incorrupta ferens & diro pectora faſtu,
Illius proceres ſponte tulere iugum.
Aemulus hunc cano Regnaldus ſuſtulit æuo,
Dum petit infeſta Danica regna manu.

SIVVALDVS VNGVINI FILIVS REX. XXXIIII.

GNata pudicitiæ rara celeberrima fama,
Edita Siuualdo pulchra Syritha fuit.
Nec minus egregia forma, quam moribus aptis,
Vſsit amatores Danica Nympha ſuos.
Illa grauis uultu nullos cognôrat amores,
Ardor & in caſto pectore nullus erat.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 69 [35,-56 8°]

Semper & obiectis defigens lumina terris,
Nulla ſupercilijs conſcia ſigna dedit.
Quis putet? & uultu nunq̃ dignata leuato,
Hæc fuit ad ſtantis uerba diſerta uiri.
Mota nec illecebris, ueluti Marpeſia cautes,
Hac uicit multos ſub grauitate procos.
Et ſtatuit genitor, uultu quem forte leuato
Aſpiceret, cupidum ſcanderet ille thorum.
Inſtabant omnes, ſed grandibus Otarus auſis
Ardebat magnus regius eſſe gener.
Vicit, & optatis (amor ingens ſarcina) uotis
Fretus, dum tulerat mille pericla, fuit.
At ſenior reputans occiſi fata parentis
Siuualdus, iuſtas egit in arma manus.
Inq́; furit fortes armorum ſtrage Suedos,
Sæuit ubi trinos mutua pugna dies.
Deniq́; deſeruit triſtes uictoria Suecos,
Et ſibi uix celeri conſuluere fuga.
Iamq́; quater deni duris quos ſemper in armis
Extulit inuictos Suetica clara uiros:
Daniacis proceres coguntur cedere ſignis,
Et loca feſtino quærere tuta pede.
Quiq́; Gygantæa ſubijt tot prælia mole,
Et ſæuo nunq̃ uictus ab hoſte fuit:
Hic Starcaterus ualidis fugit obrutus armis,
Danica nec forti ſuſtinet arma manu.

SIGARVS SIVVALDI FILI-
VS REX. XXXV.

HIC à Suetiaco deuictus concidit Haco,
Indidit & geſtæ nomina nota rei.
Qua ſtragis puteus, Vualbrunnam nomine dicunt,
Mœſta ſuburbano condidit oſſa ſolo.
Viuere felices potuit ſine prole per annos
Exitium regnis attulit illa ſuis.
Ignibus Aluidæ flagrans pulcherrimus Alfus,
Par illis ardor, parq́; iuuenta fuit.
At genetrix natæ tædis contraria, uotis
Obſtitit, intentis effugit illa minis.
Nec mora uirgineas ueſtes exuta, latronem
Præſtitit in medio ſæua uirago freto
Deditus & ſtudijs deſertus amator ijſdem,
Illi fit medijs obuius Alfus aquis.
Pugna fit & cædes, cum caßide forte reiecta,
Cognita amatori uirginis ora patent.
Arripit amplexu mediam, lætuſq́; precatus
Sic, ait, es ſponſo ſponſa petenda tuo:
Quam genetrix inimica mihi, telluſq́; negauit,
Obtulit hanc medio mutua pugna freto.
At minus exarſit flammis germana ſecundis,
Dedecus heu regnis extitit illa ſuis.
Ah dolor, & miſeri luctus Hagberte parentis,
Flebilibus numeris quid tua fata canam?
Hunc infelicē Sygne regalis amore,
Arſit in extructo uirgo cremanda rogo.
Quid non ſuadet amor? famulæ ſub ueſtibus intra,
Hagbertus poſito regia tecta metu.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 69 [35,-56 8°]

Excipitur cupidè dulciq; potitus amica
Nocturnis cœpit gaudia multa dolis.
Dumq; tenebroſæ ſecreta ſilentia noctis
Optato luſu, colloquioq; terunt.
Hic iuuenis, ſi me caſus depræhenderit? inquit,
Et genitor pœnas ſumere morte uolet:
Ecquid in extremam mecum deſcendere ſortem
Contendes? uita plus mihi cara mea.
Illa refert, mea uita, ſalus, mea ſola uoluptas,
Viua precor tua ſim, mortua ſemper ero:
Qualis erit, iuro, ſors una manebit amantes,
Nam ſine te miſeræ quid mihi dulce foret?
Mane nitet: iuuenis tacitè decedere tentat.
Cum miſer infidis proditur ille dolis.
Protinus arripitur, uinclisq; coërcitus arctis,
Præbuit indignæ colla necanda cruci.
Virgo ſed à ſummis fatum cum flebile tectis
Cernit, ait famulis iam moribunda ſuis.
Ecquis io mecum ſimili decumbere morte
Audebit? famulæ turba miniſtra meæ.
En meus ad pœnas, ò ſors, Hagbertus acerbas
Ducitur, ah mihi nunc nox, & acerba dies.
Viximus, & dulci uotum ſoluemus amanti,
Iamq; uale uotis mater acerba meis.
Sic uirgo: famulæ dominam, mortemq; ſequuntur,
Arſuras tectis ſubijciuntq; faces.
Collaq; funeſtis innectunt triſtia uinclis,
Supponunt ſummo duraq; fulcra pedi.

Atq́; faces manibus ſuſtollunt, donec amator
 Ducitur ad poſitæ triſtia ſigna crucis.
Protinus iniectis accendunt regia flammis
 Tecta, leues linquunt fulcraq́; dura pedes.
Strangulat allidens & pendula guttura reſtis,
 Peßima regales flammaq́; perdit opes.
Spectat id infelix, morti uicinus amator,
 Seruátaq́; leuans fata ſuprema fide.
Tolle moras lictor : flammis immitibus, inquit
 Ardet, & ad ſtygios it mea uita lacus.
Sim comes, & citius correptus in aëra tollar,
 Iam demum miſero ter mihi dulce mori.
Exitus infelix : quos ardor torquet amantes,
 Talibus admoniti caſibus, eſte precor.
Extat adhuc miſeri dictus de nomine pagus
 Hagberti, ſummi ſignaq́; nota ſoli.
Arxq́; Suderburgum gelidis contérmina ripis,
 Exhibet iſtius talia ſpectra rei.
Hic ubi ſecretam deuoluunt Sydera noctem,
 Cernitur ad ſtructos uirgo ſedere rogos :
Atq́; comam plectens, dorſo non fronte uideri
 Illicitæ Veneris uicta pudore, poteſt.

SIVVALDVS II. SIGARI FI-
LIVS REX. XXXVI.

RVrſus hic immitem ſignis hoſtilibus Hacum,
 Aggrediturq́; fera Suetica caſtra manu.
Armaq́; nobilitas, omnis plebs arma miniſtrat,
 Et coijt denſo Danica turba globo

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 69 [35,-56 8°]

Diraq́; iam biduo durarunt prælia, quando
Agminis in pugna Rex utriusq́; cadit.
Deniq́; magnanimis ceßit uictoria Danis,
Et uincunt equites Scania clara tui.
Mons Haci tumulum ſuggeſto culmine ſignat,
Et ſeruat celebrem fama uetuſta fidem.

HALDANVS III. REX. XXXVII.

Aſsiduis bellis regali ſtirpe perempta,
Vna fuit patrij uirgo relicta ſoli.
Illius Haldanus thalamos, regnumq́; popoſcens,
Plurima diuerſo bella ſub orbe tulit.
Addit amor Iuueni uires, regniq́; cupido,
Nec uarijs ceßit ſorte premente malis.
Quando procul gelido Mauortia terra ſub axe,
Prußia Suetiaca preſſa cohorte fuit.
Aduolat huc felix, & longis uictor ab oris,
Attulit ad patrios multa trophæa lares.
Hic fratrem diro congreßum forte duello
Ignarus grandi uulnere ſtrauit humi.
Mox patriam repetens, rebus iam nobilis actis,
Promißi poſcit fœdera ſacra thori.
Interea fallax, ſibi tradita fœdera rumpens,
Saxonicas fuerat nupta ſecuta faces.
Ille ſed offenſus, crudeli uulnere ſtrauit
Saxonas, optato perfruiturq́; thoro.
Occidit in patria ciuilibus obrutus armis,
Vxor ubi bellum Rege cadente gerit.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 69 [35,-56 8°]

HARADLVS III HALDANI FI- LIVS REX XXVIII.

ILLius genitor dum rura Selandica uaſtat,
Infeſto duri militis enſe cadit.
Ille ſed expulſo patrio de rure VVeſeto.
Hæc iunxit ſceptris Marte potente ſuis.
Legibus iniuſtis & quam poſſedit, Haraldum
Finibus eiecit Iutia magna tuis.
Poſt ubi collapſas bellorum tempore uires,
Antiquum regni reſtituitq; decus:
Vertit ad ignotos uictricia ſigna triumphos
Inq; peregrina bella miniſtrat humo.
Fortis & Haſmundo (ſoror hunc infeſta fugarat)
Noruagici uictor reddidit arua ſoli.
Miles & infeſtus muliebria deſtruit arma,
Impia ſuccumbit uictaq; Marte ſoror.
Primus hic infeſtos nauali milite Gallos,
Ad Rheni uitreas depopulatur aquas.
Auſus & audaces conuellere claſſe Britannos,
Hombrotum patrijs eijcit acer agris.
Vandalicas acies, Fhriſicas & fortiter oras
Cogit Daniaci ſub iuga panda ſoli.
Tandem Suetiacis ſenior decumbit in armis,
Hic Fhriſius bellax miles, & Vbbo cadit.
Infelix tanto diſcrimina Danica tellus,
Cogitur ignotæ frena ſubire manus.
Vellitur & patrijs illuſtris Scania terris,
Scania Daniaci prima corona ſoli.

Et clarum poſito diuulſum limite regnum,
Ingemuit ſortis ſata caduca ſuæ.

OLO SIVARI REGIS NORVAGICI FILIVS REX XXXIX.

FORtiter exciſo collatis agmine ſignis,
Daniaci uires cum cecidere Ducis:
Fœmineis Danos Rex Suecus ſubdit habenis.
Hæc armis præſtans fortibus, Hetha fuit.
Non minor hæc Latiæ uiolento Marte Camillæ,
Vinceret atq; tuas Penthesilea manus.
Efferus hanc uiſu, Danis hortantibus, Olo
Submouet, & ſolus regia ſceptra capit.
Hic cane, non ſocijs comitatus, rura latrones
Vaſtantes, ſtygijs intulit acer aquis.
Atq; ſuum patrem defendens, morte Toronum
Mulctat & audaci noxia caſtra dolo.
Illius horribilis potuit uiolentia uultus
Hoſtes intuitu ſternere ſæpe graui.
Inuiſus Danis dum balnea læta frequentat.
Hic Starcateri cæſus ab enſe cadit.
Qui pugil ætates hominum tres egerat, armis
Maximus & monſtrum ceu Poliphemus erat.
Illius in diris quid fecit dextera bellis,
Cæſa docent uarijs millia multa locis.
Et uictor toties, ullo nec crimine læſus
Non tulit infeſtas hic habuiſſe manus.
Pænitet: & precium cæſo quod Rege ferebat,
Imponens humeris circumit arua ſuis:

Quærit & oblatum precio qui tollat eodem,
  Et rigido inuitos finiat enſe dies.
Obuius hic illi, patrem cui nuper ademit,
  Truncat & immitis grandia colla ſenis.
Dania longæui fatum crudele Gygantis
  Luxit, quo toties uindice tuta fuit.

EMVNDVS OLONIS FILIVS REX. XL.

Bella ſequi, belloq; mori, generoſus Emundus
  Miles & intrepido pectore, dulce putat.
Huic ſponſam primum, ualido regnumq; duello
  (Paucis inops ſeclum) quærere cura fuit.
Ergo petens tumidum Noruuegica rura per æquor,
  Hoc uicto rediens cæpit utrunq; ſolo.
Magnus honos, iſtis ſponſalia foedera ſeclis,
  Non niſi conſpecta laude, manuq; peti.
Pace pia fatum generoſus clauſit Emundus,
  Quanq̃ pax iſto tempore rara fuit.

SIVARDVS EMVNDI FILIVS REX. XLI.

Sors infelicis nimis ærumnoſa Siuardi,
  Hei mihi quot caſus, qualia damna tulit.
Prælia Suetiaci luxit damnoſa Gothari,
  Fugit ubi celeri uix ſua fata rate.
Illius & florens amiſit inertia regnum,
  Et gemuit duplici Dania preſſa iugo.
Iutia Vandalicis, Suetis parebat habenis
  Scania, uix tenues ille tenebat agros.

Nec tamen immunis, ſed triſtia penſa quotannis
Soluere difficili ſorte coactus erat.
Hoſtibus & medijs ceptus latus omne, ferebat
Triſtior in patrio multa pudenda ſolo.
Vandalicas acies conatus rumpere, prolis
Adductæ gemuit triſtia uincla ſuæ.
Obrutus extremo tam diris undiq; damnis,
Omnia dum retro ſorte furente ruunt:
Eſſe mori ſatius, miſerè quam uiuere duxit,
Sortis & extremas tentat adire uices.
Protinus indicit Sueco fera bella Sunoni,
Clara ſub imperio Scania cuius erat.
Hic licet, occubuit, uiolentum uicerit hoſtem
Infelix, cui non ſorsq; Deusq; fauet.

BVTHLVS SIVARDI FRATER REX. XLII.

Excipit incepti Buthlus miſerabile belli,
Et cum fratre pari ſorte tuetur, onus.
Nec Suecus ſumptis, cecidit nec Vandalus armis,
Vtraq; Daniaco gens oneroſa ſolo.
O infelices hoc triſti tempore Danos,
Quam citò ſtant tenui regna, caduntq; mora.
Tunc ego crediderim (tam ſors contraria ſæuit)
Commotos omnes in mala tanta Deos.
Buthlus & ignaua regnum cum morte profundens,
Acceßit ſtygias Rex inhonorus aquas.

IARMERICVS SIVARDI FILIVS REX. XLIII.

SERuiles operas indignaq́; munera Rege,
Vandalico captus pertulit ille ſolo.
Donec ei reditus inſania ficta parauit,
Et miro fugit Vandala tecta dolo.
Hic ubi reginam diro truncauerat enſe,
Et truce regales uſſerat igne domos:
Vno Daniacas ſocio comitatus ad aras,
Mille ſed clapſus Vandala tela, uenit.
Protinus imperio, ſceptriſq́; potitus auitis
Impoſito ſoluit Danica rura iugo.
Cuius & impoſitum tulerat deuicta tributum
Danica gens, eius Marte Gotharus obit.
Illius & regnum cœpit, Sueciſq́; ſuperbis
Impoſuit uerſa dira tributa uice.
At memor indignæ ſortis, magniq́; pericli,
Vandalicis captus quod tulit ante plagis.
Hanc quoq́; deuicit gentem, ſortemq́; priorem
Rex ullus mira conditione fuit:
Hoſte quater denos proceres conſtringit ab omni,
Totq́; lupos ſtructa calliditate capit.
Atq́; feram cunctis collo ſuſpendit ab alto,
Deuorat & uictos beſtia dira uiros.
Poſt ubi deficiens gens Vandala, rurſus ad arma
Conuolat, hanc pœna deteriore premit:
Primores belli loris innectit equinis.
Sternit & in putidum corpora uincta lutum,
Hos ſuper immanes crudeli uoce moloſſos
Concitat, ingenti ſæuitiaq́; necat.

Hic regno potuit felix & Marte uideri,
Munitæq; nouum condidit arcis opus.
Turbat adulator placidam ſed Bicco quietem
Hic é Curetum ſtemmate natus erat.
Hic regis gnatum patrios uiolaſſe penates,
Illius & fingit dedecoraſſe thorum.
Credulus uxorem rapuit, natumq; pudicum,
Et Rex immeritis ſata ſuprema parat:
Tentat & horrendum mortis genus optima coniux,
Perdditur & dira Rege iubente nece:
Ecce iacens terra diris religata catenis,
Mœſto calcantes excipit ore boues:
Spiritus attrito donec de corpore cedens
Liber ad Elyſios euolitauit agros.
Protinus ad caros mors hæc turpiſsima fratres
Fertur & hi capiunt uindice bella manu.
Truncatur medijs & Iarmericus in armis,
Coniugis innocuæ fataq; dira luit.
At tibi Dij pœnas falſo pro crimine Bicco
Soluant, & pereas deteriore nece.

BRODERVS IARMERICI FI- LIVS, REX XLIIII.

Filius at pœnas cum protraheretur acerbas,
Supplicium mitis diſtulit ira patris.
Lictor & inſonti iam triſtia uincula collo
Indiderat, miſer & iam periturus erat:
At cito ne ſtructas reſtis duriſsima fauces
Comprimat & diris guttura mœſta modis:

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 69 [35,-56 8°]

Rex binis pueris pendentis in aere gnati
    Mox humeris mandat ſuſtinuiſſe pedes:
Interea ſi ſors latæ ſententia mortis,
    Et caderet curuæ pæna remiſſa crucis.
Iuſſa parant: furcam natus ſublatus in altam,
    Vix ſtricto tenuem gutture ſentit opem:
Ecce ruens catulus, teneris Broderus ab annis
    Huic epulis, luſu, uoceq́; notus erat.
Eiulat, & ſortem multum miſeratus herilem,
    Alludit Domino, uerbaq́; ſueta petit:
Vellicat & firmas proprio ſibi corpore plumas,
    Illius ad Suetas falco redire manus.
Et circumuolitans, compreſſaq́; guttura cernens,
    Neſcio quid mæſta flebile uoce canit.
Aſpicit hoc genitor, lachrimiſq́; cadentibus inquit,
    En me quid patrem mentis habere decet?
Soluite io pueri, ſi uiuit, ſoluite natum,
    Ecce gemit dominum beſtia bruta ſuum.
Hic cruce Broderus ſignis ſeruatus iniqua,
    Patre tulit cæſo Danica rura ſuo,

SIVALDVS IGNOTVS REX. XLV.

VNde ſit & quali cretus de ſtirpe Siualdus,
    Non cecinit uera candida fama fide.
Huius erat frater uaſti pyrata profundi,
    Hoſtis & æquorijs inſtitit acer aquis.
Et niſi dum prædas, & turpia lucra ſecutus,
    Egit in undoſo tempora longa freto.

In regno

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 69 [35,-56 8°]

In regno ſolus tranquilla pace Siualdus,
Iura ſenex populo condidit æqua ſuo.
Felix, cui placidos ſine bello ducere ſoles
Sorte graues curas diſcutiente, licet.
Hunc minus immenſo ſi iactat fama ſub orbe,
Ille tamen curis, triſtitiaq́; uacat.

SNIO SIVALDI FILIVS REX. XLVI. Deq́; Lombardorum origine, & è Scania digreßione.

HActenus imperium Dani, regnumq́; paternum,
Non commutatis obtinuere locis.
Rurſus & iniuſto iam Scania clara Snioni
Ceßerat, à Sueco libera facta iugo.
Fata uocant: alias & ſors iam querere ſedes
Cogit: tam nullo ſunt rata regna loco.
Ecce ruens macie, ferali cinctaq́; falce,
Danica terribilis conficit arua fames.
Terra negat ſegetes, alimentaq́; debita, piſces
Cedunt, è toto diffugiuntq́; freto.
Euulſæq́; ſuis uiles radicibus herbæ,
Præbuit ingratos fronsq́; reſecta cibos.
Et puer eſuriens udi ſub mergine ponti
Errat, & immundos excipit ore dapes.
Iamq́; leui concha, tenui uel ueſcitur alga,
Et diram rabies excitat agra gulam.

Iam ſpes

Iam ſpes nulla ſuper, decerpſit ad intima peſtis
Corpora, difficili carpſit & oſſa mora.
Conueniunt Proceres, & ne gens tota periret,
Debita naturæ iura negante fame:
Imberbes pueros, bellis & inutile uulgus,
Et canas matres, emeritosq; ſenes,
Agricolis tutis, & rus qui uertere poſſent,
Tollendos dira conſtituere nece:
Improba lex Procerum, patriæ quæ ſanguine fuſo,
Læſiſſet famam Dania magna tuam,
Fœmina ni quædam meliori prædita mente,
Tam dirum pulchra laude negaſſet opus:
Hæc monuit patria, quos tangeret urna, relicta,
Quærere diuerſos Marte potente Lares.
Protinus in dubiam ſua mittunt nomina ſortem,
Exit Daniacis turbaq; denſa plagis.
Iamq;, ſalus mundi, natus tria ſecula Chriſtus,
Adde annis geminis luſtra bis octo, fuit:
Cum Longobardi ſelecti ſorte, fuerunt
Finibus egreſſi Scania magna tuis.
Vnde ſed hæc priſcæ ducantur nomina gentis
Rettulit ambigua fama uetuſta fide.
Siue quod oblongis cooperti pectora barbis,
Hæc de Germanis nomina nota ferunt.
Siue quod antiquos referunt cognomine Bardos.
Siue quod hæc niſi nil barbara turba fuit.
Ruianis primum patrijs è finibus actis,
Terra peregrinis ceſſit habenda uiris.

Hinc fortes gelido uicinos Pannonas Iſtro,
E patrio Bauaros eijciuntq; ſolo.
At quid in Heſperijs gens hæc fortiſsima terris
Egerit, eſt plena cognita fama fide.
Condidit hic ualidum firmo quod robore regnum,
Bis geminos annos, & duo ſecla tulit.
Dum Deſiderius longis attritus ab armis,
Imperio ceſsit Carole magne tuo.
Tempore Daniacis quo primum ceſsit ab oris,
Exierat curſu iam tria ſecla uago.
Ardua temporibus quæ geſsit bella ſub iſtis,
Non potis eſt molli Muſa referre pede.
At tu bellipotens, & uictrix Danica tellus,
Illius æternæ nomina gentis habes.
Nunc & in Heſperijs florens Lombardia terris,
Nomen ab indigenis continet illa tuis.

BIOR SNIONIS SVCCESSOR REX XLVII.

HVius quod tacitis conduntur nomina chartis,
Nota nec in ſera poſteritate patent.
Tempus edax rerum, ſors & non æqua peregit,
Hei mihi ſors uarijs imperioſa modis:
Cur alios fama natos ſuper æthera tollis?
Et rerum magna proſperitate leuas?
Cur alios miſero caſu, triſtisq; labore
Obruis? & quauis aſperitate premis?
Sæpeq; cum clari uixerunt, tollis honorem,
Magnaq; perpetuo facta decusq; premis.

Tu quoq; ſæpe noces ò inuidioſa uetuſtas,
Clara nec in longos digeris acta dies.
Quis neget hoc etiam bellaces tempore Danos
Plurima crudeli bella tuliſſe manu.
Inuida quæ cæca ſors omnia nocte recluſit,
Hac nimis egregijs parte maligna uiris.
Claraq; magnanimi deleuit facta Biornis,
Cumq; ſuo uirtus Rege ſepulta iacet.

HARALDVS IIII. BIORNIS Succeſſor, Rex. XLVIII.

INuida præclarum nec ſors euexit Haraldum,
Famaq; conſpicuum texit acerba caput.
Viuite felices per carmina uiuite Reges,
Carminibus uobis nomen honosq; manet.
Præmia diuinis & ſoluite digna poëtis,
Quos ſuperis fecit candida Muſa pares.
Hos colat, à ſtulti ſemotus crimine uulgi,
Qui cupit à ſera poſteritate legi.
Scilicet excellens tot rebus Dania geſtis,
Quod non hoc uates tempore nacta fuit.
Obruit inductus res dignas carmine ſquallor,
Aeternusq; premit fortia facta ſitus.

GORMO HARALDI FILIVS REX. XLIX.

NOn hunc ſanguinei commendat gloria Martis,
Clara uel hoſtili rapta trophæa manu.

Semina

Semina ſed rerum uarias gignentia formas
  Noſſe pio Regi maxima cura fuit.
Quasq; tulit pariens tenebroſo terra receſſu,
  Naturæ miras aſpiciebat opes.
Quinetiam longis phantasmata dira ſub oris,
  Audierat certa promere quæq; fide.
Phimorum, gelidã procul hinc Aquilonis ad Arcton
  Præſtigijs uarijs nobilis ora iacet:
Ecce iacent rapti gelida ceù morte ſupini,
  Poſt ſurgunt certa fœmina uirq; mora.
Cunctaq; tum referunt alieno facta ſub orbe,
  Exponunt geſtæ certaq; ſigna rei:
Nec falſum dixiſſe ſcies, ubi ueneris iſtuc,
  Quo tibi dixerunt quælibet acta loco.
Tum quoq; Teruilli (ſic hos Noruuegia dicit
  Demonas) augurio promeruere fidem.
Fallere nunc homines ſoliti, nunc uera loquentes,
  Expromunt rauco multa retecta ſono.
Quæq; refert nobis multos Islandia piſces,
  Spirituum uarios continet ora greges.
Hic quà perpetûas uomit Heckelſeldia flammas,
  Ianua ubi Stygiæ dicitur eſſe domus:
Multa cauernoſas habitant plantaſmata rupes,
  Aſtuta nautas ludificantq; mora.
Quin hominum ueras ficto ſub corpore formas,
  Damnati referunt oraq; nota uiri.
Hæc & quæ reliquis audiuit mira ſub oris,
  Exoptans ſtabili noſcere Gormo fide.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 69 [35,-56 8°]

Puppibus immenſum libuit procindere pontum,
Diraq́; fallacis ferre pericla ſali.
Iamq́; tot emenſus uentis pellentibus undas,
A tergo roſeos ſolis habebat equos.
Oceaniq́; uias elapſus, & ultima carpens
Littora, Rex Thule regna remota ſubit
Hic quales umbras, uolitantia monſtraq́; uidit,
Horret uirgineo Muſa referre metu.

FINIS
LIBRI PRIMI.

DE ORIGINE ET REBVS GESTIS REGVM DANIAE, ET Ducum Holſatiæ, Comitumq́ Schouuenburgenſium.

LIBER SECVNDVS.

GOTRICVS GORMONIS FILIVS, CAROLI MAGNI COETANEVS, REX L.

IMperij Magnus laceras dum rexit habenas
Carolus antiquis regibus ortus auis.
Gotricus illuſtres ad Balthica littora Danos
In fines egit bellice Saxo tuos.
Largus hic, obſequio caris & promptus amicis,
Regia multiplici ſceptra fauore tulit.
Saxonas egreſſus gelidum proſtrauit ad Albim,
Victor & oppreßis talia iura dedit:
Clara nouum quoties legeret ſibi Dania Regem,
Huic centum niueos Saxo det acer equos.
Rex & idem pacto promittit fœdere, lectus
Quando Saxonicis dux nouus eſſet agris.

Dumq́; trucidarat crudeli fraude Reuonem,
Præſes Suetiacos ille tenebat agros:
Vindicat extinctum bello, nummisq́; ſolutis,
Cogitur admiſſum pendere Sueco ſcelus.
Carolus intereà germanas uictor ad urbes
Fulminat, abſurdos pellit & enſe Deos.
Iamq; rebellantes ter denis Saxonas annis,
Impoſito poterat perdomuiſſe iugo:
Ecce ruens patijs animoſus Gotricus oris,
Lege ſibi iunctos uendicat acer agros.
Amiſſasq́; tibi cupiens Germania leges,
Et ſæuo pulſos Marte referre deos:
Innumeras Claſſes patrijs educit ab oris,
Et phrîſici uaſtat pinguia rura ſoli.
Hîc ubí nubiferas miræ compaginis ædes
Struxit, & ad cœli ſydera ſtruxit opus.
Compulit & dirum phriſios perferre tributum,
Magnaq́; prolicita munera pace dare.
Aggreſſurus erat diris iam Teutonas armis,
Rurſus at ex Italo Carolus orbe uolans:
Obſtitit inceptis, notasq; Viſurgis ad undas,
Danica ab æquoreis caſtra moratur aquis.
Gotricus intereà crudelibus occubat umbris,
Cæſus & à proprij militis enſe cadit.

OLAVVS II. GOTRICI FILIVS REX. LI.

Filius extinctum Primorum fraude parentem
Dum putat, ultrices induit enſe manus.

Et fera

Et fera facturus natiuis prælia terris
    Plurima militiæ colligit arma ſuæ.
Quos tamen euentus habuerunt bella, uetuſtas
    Occulit, & nullo carmine nota facit.
Illius tumulum ſuggeſtus ceſpite collis
    Indicat ad portas Regia Lethra tuas.

HEMMINGVS OLAVI FILIVS, REX. LII.

IMperij quando Ludouuicus ſceptra tenebat,
    Proles par meritis Carole Diue tuis:
Hemmingi uires, & conſcia prælia uitans
    Illius uoluit fœdus inire manus.
Quoq; magis tutus reliquas bellaret in urbes,
    Hæc iuramento fœdera ſtricta ſubit.

SIVARDVS II. COGNOMENTO Ringo, Gotrici ex filia nepos, Rex. LIII.

IMproba ſeditio diuulſos fœdere Danos
    Acriter in patrijs ſollicitauit agris.
Dumq; iacet uarias tellus diuiſa per undas,
    Quæq; ſibi proprium cœpit habere Ducem.
Iutia ſic proprium, proprium ſic Scania Regem,
    Altera in alterius damna neceſq; tulit.
Interea patria digreſſus Vandalus urbe,
    Heu regni laceras Marte petiuit opes.
At conſanguineis miſceri noluit armis,
    Et fugit patrij bella Siuardus agri.

Vandalicas acies & qui nos fortiter annos
Pellit, & à patria ſtrenuus arcet humo.
Ille ſed hoſtiles fortis dum miles ad urbes
Pugnat, & infeſtos ſubmouet enſe uiros.
Heu facinus, Ringo totum ſibi ſubdere regnum
Aemulus infida proditione ſtudet.
Impius & populis ferro, flammaq; minatus,
Dedere ni uellent patria rura, fuit.
Edoctus patriæ ſed tanta pericla Siuardus
Aduolat, & tales comprimit enſe minas.
Ringonemq; fero pugnantem contudit ictu,
Et malè quæſitum deſerit ille ſolum.
Rex tamen hac diro læſus quoq; uulnere pugna,
Inclytus immerita morte Siuardus obit.

REGNERVS SIVARDI FILIVS REX LIIII.

REGnerum teneris prudentia magna ſub annis
Extulit, & iuuenis promptus ad arma fuit.
Littora Noruagiæ rex Suecus claſſe ſubegit,
Illius & regno pellere cœpit auum.
Ille ſed accitus patrijs è finibus, hoſtem
Opprimit, & Suecos ſub iuga curua trahit.
Scohtorumq; manus, & ſæui bella Britanni
Conterit, æquoreas claſſeq; turbat aquas.
Illius hîc cecidit Rex ingens uiribus Hama,
Senſit & inuitum terra ſubacta iugum.
Interea nimium peregrinis excita bellis,
Ante datam rupit Iutia magna fidem,

Et procul abſentis ſucceſsibus æmula Regis,
Deſciuit forti Scania terra manu.
Dania conueniens & forti dixit Haraldo,
Quid ceſſas? uacui iam cape ſceptra ſoli.
Arripit oblatum conſtanti pectore regnum,
Et regale ſubit fortis Haraldus onus.
Vndiq; Regnerus ſed rebus fortiter actis,
Rurſus adit patriæ dulcia regna ſuæ.
Agmen & elidit uiolento Marte rebelle,
Cum miſer indecori cedis Haralde fuga.
Regibus à Francis qui nomen duxit & ortus,
Inperij uindex tum Ludouuicus erat.
Hunc adijt profugus, patrijs & pulſus ab agris
Cæſaream ſupplex tentat Haraldus opem.
Nec mora, qua ſummi ſplendor Moguntia regni
Flores, Rhenicolis conſpicienda Deis:
Primus hic unigenæ Chriſti baptiſmate tinctus,
Contempſit patrios, numina ſurda, Deos.
Tempore quo rurſum contemptor pacis agebat,
Regnerus Suecis agmina mille plagis.
Marteq́; congreſſus, bis quatuor intulit Orco,
Et roſea extinctos cœpit arena uiros.
Debellare ſtudet magicos cum claſſe Biarmos,
Non profecturo milite caſtra mouet:
Hæc procul extremis tellus contermina Suecis,
Nota ueneficijs præſtigijsq́; iacet.
Hic ubi bella gerit, commota tonitrua cœlum,
Turbat & effuſis plurimus imber aquis.

Et uix ad ueteres fugiens Curetas amicos
  Militis hîc uires, feſſaq́; caſtra leuat.
Hinc rigido ſæuos inuadit milite Fhinnos,
  Hoc neq́; ſed felix miles in orbe fuit.
Perq́; niues altas, & ſumma cacumina tendens,
  Illius eluſit barbara turba manus.
Multaq́; ſecreta detorquens ſpicula rupe,
  Nota fugit celeri rurſus ad antra pede.
Interea patrijs longè dum pugnat ab oris,
  Illius inuaſit Danica ſceptra Nothus.
Ille ſed Heſbernum uita ſpoliauit, & armis,
  Vincla ſed infelix filius Vbbo tulit.
Hinc petit infeſtum te Rußia lata per æquor,
  Illius hîc proles igne perempta fuit:
Manibus hic gnati funebria munera ſoluens,
  Excidit miſera Rußica ſigna nece.
Iniecitq́; fero Daxoni uincula Regi,
  Magna ſub imperio Rußia cuius erat.
Rurſus ab eois ubi ſe dimouerat oris,
  Occiduas petijt bellica claßis aquas.
Ac ubi Noruagiæ ſedauit prælia, curſu
  Orcades infeſto Rex uiolentus adit.
Bellaq́; uerſutis denunciat aſpera Schotis,
  Hic quoq́; ſors illi bellica dura fuit.
Et cæſos primo pugnantes agmine gnatos
  Fleuit, & ignoto condidit oßa ſolo.
Ingemit intereà uictores Dania Gallos,
  Paret & inuito legibus Hella tuis.

Eijcit

Eijcit hic hoſtes rediens, Hellamq́; coegit
Linquere difficili regna ſubacta metu.
Iamq́; peragrato uictor circumtulit orbe,
Bella tot audaci ſuſtinuitq; manu:
Orbis ad occiduas tendens Hybernia partes,
Sed non illius ſenſerat arma manus.
Hanc quoq́; Marte petens, Diſtinæ mœnia Gentis
Cæpit, & ingentes uictor abegit opes.
Hic armis etiam (tanta eſt inſania ferri.)
Helleſpontiacos fertur adiße ſinus.
Ille ſed Argiuas bello dum ſæuit ad urbes,
Rex iterum patrios cæpit Haraldus agros.
Ille Deum uerum ſincero pectore faßus,
Expulit è patrio numina falſa ſolo.
Anſchariumq́; pium Germanis duxit ab oris,
Quo didicit ueram Danica terra fidem.
Sed redeunte fero Regnero, rurſus Haraldus
Pulſus abit, Chriſti relligioq́; cadit.
Poſt ubi Regnerus uaſtas ſecat æquoris undas,
Et procul inſidias hoſtis abeße putat:
A ſæuo capitur, quem nuper uicerat, Hella,
Et ſubit horribili fata ſuprema nece.
Carcere concluſus diros exhorruit angues,
Vulnificoq́; miſer dente ſolutus obit.
At ſcelus hoc gnati ſtimulis ingentibus ulti,
Captiuas ſenſit rurſus & Hella manus.
Pænarumq́; miſer tormenta nouißima paßus,
Labitur ad Stygias dilaceratus aquas.

SIVARDVS III. REGNERI FILIVS REX LV.

HVius magnanimi robur laudabile Regis,
Quid pectus conſtans, claraq́; facta ferã?
Audijt intrepidè fatum crudele parentis,
Exhibuit luctus ſigna nec ulla ſui.
At teres in manibus, quod ſors haſtile tenebat,
Impreßit nudo ui uehemente pedi:
Scilicet aßiduos mens obſtupefacta dolores
Occiſi poßit ne reuocare patris:
Miſcuit implicitos non uno uulnere ſenſus,
Conſcia uindictæ ſignaq́; mente premit.
Protinus aggreditur ueſanos Marte Britannos,
Et tibi uictrices inijcit Hella manus.
Iamq́; memor quali conſumpſit morte parentem,
Supplicij dirum quærit & ille genus:
Non rota, non ſerpens, non illum furca, nec enſis
Non aqua, non ſæui perdidit ira rogi.
At uelut infelix Stygia ſub rupe Prometheus,
Infeſtam lacero pectore paſcit auem:
Haud ſecus appendens longo uexamine ultus
Rodit inextincti terga reuulſa uiri.
Qui potuit mortis diras exquirere pœnas,
Hic nece mulctatus deteriore fuit.
Fauſta ſed occiduis dum prælia geßit in oris,
Illius exorto patria Marte furit.
Atq́; nouos Dominos contempto rege creauit,
Hæc illi triſtis cauſſa laboris erat.

Vrbs iacet, & priſcis fuit Heideba dicta ſub annis,
At nunc Sleſuuitiam patria lingua uocat:
Hanc prope crudeles, adiunctis fratribus, hoſtes
Arripit, & triſti mœnia ſtrage replet.
Nunc ubi ſuggeſtis elata cacumina cliuis,
Vſq; notant triſti prælia facta loco.
Quemq; ſinum roſeis preſſere cadauera limphis,
Regis hic à claro funere nomen habet.
Iamq; potens uictor fauſto quæ Marte ſubegit,
Fratribus attribuit regna tenenda ſuis.
Suetia ſed carum dum fraude necarat Ericum,
Suetia Daniacum terra peroſa iugum:
Quam cum uindicibus ſcelus hoc exoluere ſignis
Compulit, in medio Marte cruentus obit.

ERICVS HARALDI FRATER, REX LVI.

HVnc quoq; Regnerus dum regnis pellit auitis,
Auxilium Cæſar te Ludouuice petit.
Et cum fratre ſuo ſacro de fonte renatus,
Adſeruit trinum uoce fideq; Deum.
Cæſaris & iuſſu Fhriſicas hic cœpit habenas,
Pyratas uaſti perdomuitq; maris.
Aſt ubi uitali priuatus luce Siuardus,
Imbelli nato Danica ſceptra dedit:
Expulit hunc bellax, & regnum cœpit Ericus,
Quæ fuit exitij proxima cauſſa ſui:
Namq; Gutorinus primis huic æmulus annis,
Inuidet ut mixtis regia ſceptra minis,

Proti-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 69 [35,-56 8°]

Protinus agnati concurrunt agmine Reges,
Occubat & dira cæſus uterq; manu.

ERICVS II. SIVARDI FILIVS, REX. LVII.

CHriſticolis nimium tenero contrarius æuo,
Pomicolas coluit, ruricolasq; Deos.
Pyratisq; fauens, gentes tibi Chriſte fideles
Preßit & his clades damnaq; mille tulit.
Sæpeq; Chriſtiadum, tormentis, dogma profeßos,
Compulit acceptam deſeruiße fidem:
At ſenior, mentisq; potens, tenebrisq; fugatis,
Agnouit qualem deſpuit ante Deum.
Iamq; piget facti, prius & quam turpiter odit,
Conuerſo Chriſtum tam modo corde fouet.
Legibus & poſitis Chriſtum cognoſcite, dixit,
Atq; ſalutiferos quisq; ſubite lacus.
Et pius Anſcharius iam terris tutior iſtis,
Expoſuit ſummi dogma fidemq; Dei.
Eſt locus & Dani Slyam cognomine dicunt,
Quisquis adeſt, ſacras ne pede turbet aquas.
Stat uetus, & templum ſtagnantibus adiacet undis,
Nomen & Anſcharij nobile uatis habet.
Hic pius aßiduos ſolitus diducere ſoles,
Dum canit Aetherei dogmata ſancta Dei.
Et triſtes animas, immerſaq; pectora cæno,
Suauiter æthera purificauit ope:
Et nitida cinctus tunica, tenuiq; thiara,
Vicino merſit millia multa lacu.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 69 [35,-56 8°]

Sancte lacus quali referam tua nomina uerſu?
Quæue canam lymphis præmia digna tuis?
Agmina ſeruaſti, cœli quæ ſumma petebant
Aſtra, miniſterio purificata tuo.
At ualeas: factiq́; memor, non urat anhelus
Te canis, usq́; nouas ſed ferat hymber aquas.

CANVTVS ERICI FILIVS, REX. LVIII.

Hic puer impoſitas regni tutatur habenas,
Egit & ignotos Marte ſilente dies.
Intereá proceres, diræq́; ſuperbia plebis,
Arbitrio rumpunt faſq́; piumq́; ſuo.
Ilicet excutitur laxato pectore Chriſtus,
Inq́; ruit ſolitum turba nephanda ſcelus:
Motaq́; deſæuit crudeli terra tumultu,
Et denſo coeunt agmina mille globo.
Poſt ubi uicinas uaſtarunt undiq́; terras.
Et Chriſtus patrio pulſus ab orbe fuit:
Excidêre feris Hamburgi mœnia flammis,
Inq́; cadit mœſtos urbs generoſa lares.
Et pius Anſcharius flammas elapſus & enſes,
Arripuit celeri uix loca tuta pede.
Tunc o Saxonicæ flos inuictiſſime gentis
Concidis, hoſtili Bruno perempte manu.
Tūc Marquarde feris, cadis & Theodore ſub armis,
O præſul populo fidus uterq́; tuo.
Tunc Treuir uetus eſt crudeli milite uictus,
Templaq́; barbarici contemeraſtis equi.

Quanta

Quanta ſed heu uarijs gens hæc incommoda terris
Intulerit, lachimæ uix meminiſſe ſinunt.
Vrbs quoq; tum cecidit diuis ſpectabilis ipſis,
Quæ uetus à Mogo nomen adepta tenet.
Tum quoq; multimodis exciſa Colonia tectis,
In Rheni mœſtas præcipitatur aquas.
Illius Auſonias gentis furor iuit ad urbes,
Diraq́; ſemideos traxit in arma Deos.
At quid in antiquis Francorum fecerit oris,
Qua Padus, & liquidis Sequana currit aquis:
Senſit id horrendis urbs florentiſsima bellis,
Cui tribuit Phrygius nomina nota Paris.
Cincta peregrinis quando mœſtiſsima ſignis
Plorat, & ingenti uulnere læſa iacet
Hei mihi, quam ſæua tum Gallia preſſa cohorte,
Perdidit hac proprium gente ſubacta decus.
Teſtis adhuc iſtis florens Normandia terris,
Nomine quæ quondam Neuſtria dicta fuit.
Victa peregrinis ſed poſtquam concidit armis,
Nomen ab hac clara nobile gente tulit.
Illius hic regnum ſeri tenuere nepotes,
Claraq́; uictrici ſceptra tulere manu.
Inter eà patrijs ſine cæde Canutus in oris,
Nulla domi ſenſit prelia, nûlla foris.
Canus & in ſeros ſua tempora diſtulit annos,
Inq́; ſenex patria relligione cadit.

FROTHO VI. CANVTI FILIVS, REX LIX.

ANglica Daniacas tellus excuſsit habenas,
Atq; minis orta ſeditione tumens,
Prælia cum fecit uictoribus aſpera Danis,
FRothoni uictas præbuit ægra manus.
Hic pius agnouit Chriſtum, ſacroq; renatus
Fonte, tulit ſummi præmia digna poli.
Tempore quo fuerat cœleſtis clauiger arcis
Agapetus, patrijs Frotho profectus agris,
Impiger Auſonij regales præſulis arces,
Teq; petit Latij Roma corona ſoli:
Pontificemq; rogat patriæ concedere, doctos
Qui Chriſti doceant dogmata ſacra, uiros.

GORMO II. FROTHONIS FILIVS, REX LX. COGNOMENTO ANGLICVS.

ANglia uitales Gormoni præbuit auras,
Cognomenq; ſui nominis inde tulit.
Obtinuit patrias illic & fortiter arces,
Illius & pateris ſæue Britanne iugum.
Sed ſimul ac regnum genitor, lucemq; reliquit,
Regeq; ſublato Dania mœſta fuit:
Rex ſubito Gormo, ſceptrum ne forſan auitum
Ambirent auidæ ſurriperentq; manus:
Naue petit ſtructa genitor quas rexerat oras,
Indigenis placidè ſuſcipiturq; uiris.
Ac impune maris uaſti trans æquora, ſpreuit
Anglia Daniacos libera terra duces.

HARALDVS V. GORMONIS FILIVS, REX. LXI.

TEmpore quo patriæ generoſus Haroldus habe=
Patre ſuo fatis deficiente, tulit. (nas
Mollia ſepoſitis traducens ocia bellis,
Pacatos largo meße refecit agros.
Nuper at egreßos crudeli uulnere Danos
Preßit in ignoto ſors uiolenta ſolo:
Normannosq; feros fortuna nouißima plectens,
Vltores ſenſit barbara turba Deos.
Iamq; tot heu rutilis fumarunt oppida flammis,
Ignibus & crepuit flaua peruſta ſeges,
Sanguine Chriſtiadum madidas tot polluit aras,
Vertit & innocuis templa dicata Deis.
Vlta ſed hos tandem ſuperum grauis ira furores,
Concidit Arnulphi gens ea uicta manu.
Ex illa centum qui uictor millia fudit,
Iuit & ad ſtygias denſa caterua domos.
Scis ager Atrebatum, roſeo ſcis flumine Schaldis,
Vix tuleris lentis funera quanta uadis.
Quamq; bis amißis Danorum millibus, ante
Succubuit Fhriſica gens ea cæſa manu.
Gallia Marte nouem Ligurum contriuit in oris
Millia, purpureis Macraq; fluxit aquis:
Illa ſed Arnulpho clades extrema, gerente
Extitit indomitis, Cæſare bella, uiris.

GORMO III. HARALDI FILIVS, REX. LXII.

Crudelis

Crudelis Gormo Stygijs tua facta ſub undis,
Triſtis Agenorei iudicis urna notat.
Me miſerum, Chriſto quam dirus & improbus hoſtis
Enſe minax, pœnis, exilioq́; fuit.
Templaq́; diſiecit patrias extructa per urbes,
Et propria infelix perditione furit.
Huius ab Anglorum coniux celeberrima ſtirpe,
Plenaq́; diuino numine, Thira fuit:
Attamen immitem non perſuadere maritum,
Chriſticolis hoſtis deſinat eſſe, poteſt.
Arripit hunc bello patrias Henricus ad urbes,
Aucupe quo præſtans Cæſare Saxo uiges.
Eidoriq́; graui transgreßus milite portum,
Vrbis Sleſuuitiæ tecta uetuſta capit.
Protinus & pulſis, tua Saxo Colonia, Danis,
Antiquum recipit libera terra decus.
Primus & his poſitis de Cæſare Marchio terris,
Fortiter illius ius tulit omne ſoli.
Gormo ſed exacto uiſu priuatus in æuo,
Incuſat lentos, uoce gemente, dies.
Dumq́; timet caro noceant ne prælia gnato,
Quæ ferus hic alio miles in orbe tulit:
Quisquis, ait, referet cæſi mihi nuncia gnati,
Extremum claudent hæc mihi uerba diem:
Aſt ego ſi colui diuos, ſors differat æqua
Fata meo nato, fata mihiq́; precor
Filius interea ueſano Marte Canutus,
Diſtinæ ualidas diripit urbis opes.

Hic ictus dubia, ſoluens ſua fata, ſagitta,
Vera fuit miſeri cura, timorq; patris.
Hoc ſed ſollicito patefecit nemo parenti,
Inter qui dubius ſpemq; metumq; fuit.
Coniuge ferali donec ueſtitus amictu,
Fata mihi gnati dira recludis, ait.
Illa ſub hæc: ego non, tibi sed lugubris amictus
Expoſuit gnati fata ſiniſtra tui.
Protinus inuiſam clauſit Rex Gormo ſenectam,
Et gnatum coniux ægra uirumq; gemit.

HARALDVS VI. HORMONIS III. FILIVS, REX LXIII.

HIC quoq; Chriſticolis primo crudelis in æuo,
Matre pia quanq̃ filius ortus erat.
Hoc Iulina potens, ſed noſtris diruta ſeclis,
Vandalici uiguit gloria prima ſoli.
Ille ſed hanc ſumptis excidit funditus armis,
Grandeq; magnificæ condidit urbis opus.
Nuper & imperij quam conſpiciente ſenatu
Vrbem Sleſuuitiam Marchio nactus erat.
Arripit hanc iterum ſublato præſide Danus,
Sterneris & dira Saxo reiecte nece.
Hoc ſcelus ulturus primis Otho floridus annis,
Irruit in fines Iutia culta tuos.
Igne nocens: & cæde ferox: cur uenerit hoſti
Indicat, & mæſtos milite complet agros.
Eſt ſinus anguſto quo ſe Noruuegia tractu
Diuidit à ripis Iutia pulchra tuis.

Hunc

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 69 [35,-56 8°]

Hunc prope ſtans Cæſar cælatis fulgidus armis,
Vtq; fuit celeri lancea forte manu:
Iecit in oppoſitas hanc totis uiribus undas,
Iſtaq; ſint noſtri ſigna laboris, ait.
Vnde ſinus priſcis, tellus & Otonia ſeclis,
Vſq; ſub hoc tempus nomine dicta fuit.
Egreſſurus erat iam uictis agmina terris,
Rex in Sleſuuitio conſtiteratq; ſolo:
Hic illi ſignis bellax occurrit Haraldus,
Et cœptum ualido milite claudit iter.
Conſtitit hic geminus nudis exercitus armis,
Conſeritur celebris diraq; pugna locis.
Donec ſublatis panguntur fœdera dextris,
Iam progreſſurum Marsq; recondit opus.
Nec mora, cum gnato ſacratis tinctus in undis,
Numinis optatam poſcit Haraldus opem.
Suenonemq; leuans ſacro de flumine Cæſar,
A noſtro, dixit, nomine, nomen habe.
Inde fuit dictus reliquos Suenotto per annos,
Abiecit ueram ſed (dolor,) ille fidem.
Expulit & toto (ſcelus indelebile) regno,
Contempta Chriſti relligione, patrem:
Poſt ubi Noruagicum bello tentauit Haraldum,
Par fuit hic illi nomine, laude minor:
Arma uiroſq; ſimul iungit Mauortius Heros,
Et ſua dat tepidis uela ferenda Notis.
Vertitur in turpes diro ſed pectore fraudes,
Et plus quam Stygium tentat Haraldus opus:

Et geminos (ſcelus ó nimis execrabile) natos,
Immundos mactat turpiter ante Deos.
Exoratq; nefas, ut motum fluctibus æquor
Daniaci perdat ſigna, ratesq; Ducis:
Quis putet? & ſtygio uis hæc conceſſa Draconi,
Tanta ueneficijs, præſtigijsq; fides?
Protinus immenſo turbari murmure cœlum,
Fluctibus & uideas increpuiſſe fretum.
Plurimus & mixto deſcendit grandine nimbus,
Diuerſasq; rates uentus & unda trahit.
Imminet à tergo monſtris adiutus Haraldus,
Diſsipat & celeri Danica ſigna fuga.
At tu perpetuo rex deteſtabilis æuo,
Quanta premet facinus pæna, dolorq; tuum?
Tu mactas gnatos, propter quos bella peremptos
Fas erat ultrices & ualuiſſe manus.
Non hoc Scylla ferox potuit, non Caſpia Tygris,
Eumenides tantum uix potuere ſcelus.
Sic ubi uentoſo laſsauit in æquore uires,
Victus & immani dæmonis arte fuit:
Intereà ſtuduit patriæ pia Thira tuendæ,
Et cauit natis officioſa ſuis.
Saxones & toties bello tentare feroci,
Dum uidit fines Iutia larga tuos:
Obijcit his ingens congeſtum ceſpite uallum,
Audax & magnum fœmina tentat opus.
Alluitur gemino moles ea maxima ponto,
Et ſpacijs inter littus utrunq; patet.

Non tamen

Non tamen hæc matris miſerum tutatur Haraldum
Cura, ſed à patrio pellitur ille ſolo.
Illius at uero ſeuecta modeſtia calle,
Has potuit pœnas promeruiße graues:
Forte ſagittandi quidam doctißimus artem
Calluit, & telo promptior unus erat:
Cum cito rex inquit, ſi te non prouida fallit
Ars, nunc me cupido pectore ſcire iuuat.
Illius & gnati defixum uertice pomum,
Illæſa iußit diſſecuiße cute.
Iuſſa facit genitor, telis iuſtructus & arcu.
Non imponendum rite peregit opus:
Eminus & pomum uiolento uerberat ictu,
Carus & illæſus manſit, ut ante, puer.
Iuuit & ars patrem: ſed adhuc duo tela gerebat,
Rex iterum cum non plura moratus, ait.
Quid tibi cum reliquis uir felicißime telis?
Nempe ſemel telum mittere iußus eras:
Ille refert, gnatum genitor ſi forte necaßem,
Cordi fixa forent altera tela tuo.
Dat ueniam faßo, patrio ſed protinus orbe
Impia Rex nato bella gerente, fugit.
Et loca dum denſis perluſtrat conſita ſyluis,
Transfoßum petijt tecta ſagitta latus:
Illius & Toco, fixum qui uertice nati
Eliſit pomum, uulneris author erat.
Læſus Iulinam repetit ſed triſtior urbem,
Nec cadit in patijs exul Haraldus agris.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 69 [35,-56 8°]

Vandalus extinctum proprias ſed miſit ad urbes,
E Roſchildenſi conditus æde iacet.

SVENOTTO HARALDI FILIUS REX LXIIII.

HIC rapuit uiuo regalia ſceptra parenti,
Impius in patrem, peßimus inq; Deum.
Et Chriſti ſacras abiecit Apoſtata ritus,
Prætulit & patrij ſacra, Deosq; ſoli.
Sed contemptori diuini numinis, æquor
Nec felix, lecto milite, terra fuit.
Ter captus, precio ſed liberiore ſolutus,
Exhauſit patrias miles ineptus opes:
Et ſua fœmineus dotalia munera ſexus
Vendidit, & certas accumulauit opes.
Vandalus & precio placatus, iure ſubegit
Hunc, ſacra qui potuit ſpernere iura Dei.
At memor officij liber, noua fœdera pangit,
Fœmineumq; pio donat honore genus.
Inq; iubet feudo tenerum ſuccedere ſexum,
Nec negat his ſolis debita iura uiris.
Hunc quoq; Rex Suecus regno deiecit Ericus,
Scania cum bellum conſpicit acre geri.
Et Sueno profugus Noruagica reſpicit arma,
Sed nihil auxilij, conſilijue tulit.
Hic miſer Eduardum, fortes qui lege Britannos
Tum rexit, fruſtra multa precatus, adit.
Inuocat & Schotum, Schotus quoq; cuncta recuſat,
Et qui deſertum nemo iuuaret, erat.

Tum ſecum: miſer heu quanto de culmine lapſus,
Vnde mihi ſors hæc tam fera ſemper? ait.
En ego qui proprio molitus bella parenti,
En ego qui Chriſti dogma, fidemq; nego.
Exuor heu ſceptris, & ſolis exul in agris,
Auxilio ex omni parte relictus, ago.
Nec diuis ego cura meis: quid profuit ergo,
Hos toties fuſa ſollicitaſſe prece?
Hos ne colam ſupplex ultro? tu Chriſte ruinæ
Et me tam fato deteriore premis.
Ergo Deus noſtras, licet exorabile numen
Comtempſi, placida ſuſpice mente preces.
Dixit: & aßiduis ſtillabant lumina guttis,
Adq; Deum toto pectore uerſus erat:
Quatuor exilio tres & traduxerat annos,
Cum repetit patriæ quas malè fugit opes.
Poppoq; iam Latijs Antiſtes rurſus ab oris,
Acceßit fines Dania magna tuos.
Ille Deo plenus, uerbi myſteria pandens,
Oppugnat ſurdos uoce, manuq; Deos.
Et docuit falſos diuorum temnere cultus,
Puraq; ſaluanti dedere corda Deo.
Cinctus erat turba, paulatim uictaq; ſenſit,
Agmina falſiloquos linquere uelle Deos:
Pergite Io clamat, nulla eſt fiducia diuis,
Nullaq; uis, falsò quos pia terra colis.
Vna ſalus cœli tibi ſed deſcendit ab arce
Natus ab intacta uirgine Chriſtus homo.

Hoc ego ſi fidens flamma, non lædor & igne,
Anne Deo credes Dania clara meo?
Dixit, & inpenſo cætus mox annuit ore,
Ferrum de calidis arripit ille focis:
Induit hoc præſul, rutilo dum canduit igne,
Regis & illæſus detulit ante pedes.
Tota per hæc ſummo miracula contio Chriſto
Credidit, & ſacras ſponte ſubiuit aquas.
Hinc fera Suenoni regali Suetia dote,
Iungitur & ſtabili pulcra Syritha fide.
Compulit & triſti Normannos cedere pugna,
Inſilit & liquidas triſtis Olauus aquas.
Quin etiam ſæuo iam uicta Britannia Marte,
Cogitur hunc poſita ſeditione ſequi.
Sic ubi fictitias donis onerauerat aras,
Spretus & ingenti clade grauatus erat:
Iam Chriſtum faßus, felicibus utitur armis,
Quatuor & ſceptro regna potente tenet.

CANVTVS II. COGNOMENTO MAGNVS SVEONIS FILIVS, REX. LXV.

Cantabunt elegi magni quid facta Canuti,
Ille Sophocleo carmine dignus erat.
Ille tulit fauſtis nomen memorabile bellis,
Notus in ætherei ſolis utraq; plaga.
Prælia quæ fecit defuncto plurima patri,
Gentis Iulinæ mœnia uicta ſubit.

Vincit & antiquos Mauortia pectora Sembos,
Littus quæ Suecum gens animoſa colit.
Agmina Noruagico ſua cum coniunxit Olauo,
Vinceris in patrio ſæue Britanne ſolo:
Ille tamen uictas auido non pectore terras
Opprimit, iniuſto ſeruitióue premit.
Donec at Etuardus uitales duceret auras,
Hunc regni medias ſumere iuſsit opes.
Ille ſed occubuit proprijs extinctus amicis,
Illius & diræ conſcia turba necis,
Indicat hoc Magno pauida non mente Canuto,
Et ſe dicturam nuncia grata putat:
Hic parricidas furca ſuſpendit in alta,
Reddidit & meritis præmia digna uiris.
A quo nuper erat ſocijs adiutus in armis,
Dum lanoſa tuas Anglia fregit opes:
Fœdera cum pacis fregit, deuicit Olauum,
Vandalicam fugiens ille petiuit opem.
Mox tria conſpirant in fortem regna Canutum,
Tres quoq; pugnaces conterit ille Duces.
Eimundus Suecus, bellumq́; Britannicus Vlſō
Et bis Noruagicus uictus Olauus init.
Omnibus attritis tot regna ſubegit, & unus
Imperio latos rex moderatur agros.
Huius gnata fuit forma præſtante Gunilda,
Cæſareum ſcandit nuptaq́; celſa thorum.
Inclytus illuſtri Francorum ſtemmate natus,
Henricus Cæſar tertius iſte fuit.

Hunc quoq; letifero uexatum ſanguine Martis,
Et preſſum bellis Italis ora tuis:
Non tulit eiectum regnis, fidaq; coborte,
Adiuuit ſoceri bellica ſigna ſui.
Sed te ſæua premens duro Normandia bello,
Conſumptus lenta tabe Canutus obit.
Rothomagum cineres defuncti ſeruat, Olympi
Sydera mens omni crimine pura colit.

CANVTVS III COGNOMENTO DVRVS CANVTI MAGNI FILIVS, REX LXVI.

HIC *tulit é multis patris poſt funera natis,*
Heres legitima Danica ſceptra manu.
Illi Noruagij rupta ſed lege repugnant,
Et magnus proprium Rex diadema capit,
Ille fuit ſancti generoſus natus Olaui,
Quem laus Martyrij, dignaq; fama uehit.
Senſit ubi patrio clarum diademate Magnum,
Mox cum Noruagijs pacta Canutus init.
Seu Magnum rapient, primó ſeu fata Canutum,
Alter in alterius regna ſuperſtes eat:
Fœdus erat pactum: rapuit mors dira Canutum,
Ante bis agricolæ quam fuit orta ſeges.
Sceptraq; Noruagicus ſuſcepit Danica Magnus,
Dum ſine legitima prole Canutus obit.

MAGNVS NORVAGICVS, ET

Sueno

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 69 [35,-56 8°]

SVENO II CANVTI MAGNI SORORIS FILIVS, REGES LXVII. ET LXVIII.

ARdua lis magnos in mutua prælia Reges
Compulit, & bellum grande duobus erat.
Ille ſibi pactum uenerando fœdere regnum,
Sanguinis hinc uinclo ſed propiore petit.
Aruaq; deſertis Sueno procul Anglica Danis,
Antiqua fretus Rex pietate ſubit:
Illius hic ſomno, madido ſopitaq; Baccho,
Bellica ſuccubuit proditione manus:
Ad fortes igitur compulſus ſorte Suëdos,
Vela, mouens triſti pectore multa, dedit.
Excipitur bello: ſtructus ſed Magnus in armis,
Incidit in uitæ fata ſuprema ſuæ:
Egerat è patrijs Suenonem fortiter oris,
Cedentem celeri perſequiturq; pede.
Dumq; nemus curſu tendebat forte per altum,
Eminus hic aliquam conſpicit ire feram:
Siue lepus fuerit, celeriſue per auia ceruus,
Hanc auidus curſu Magnus ouante petit.
Forte ſed obſtabat longo duratus ab æſtu,
Truncus iners, demptis frondibus, arte teres:
Mox improuiſi, currentis & Ilia Regis
Hic penetrat, dira morteq; ſternit humi.
Tum Sueno uacuum regali ſtemmate regnum,
Conſilio procerum non reprobante, tulit.

Inq́; rebellantes ſua ducit ſigna Britannos,
Intrat & æquoreas milite ſeptus aquas:
Eius at hic miles ualido ter ceßit Haraldo,
Iſto qui fœlix tempore Marte fuit.
Arſit & innumeras laſciuo pectore Nymphas,
Mollior ad Paphiæ dulcia furta Deæ.
Et crebros genuit diuerſo ſemine natos,
Dum renuit ſacri fœdus inire thori.
Adde q̧ & proprio ſibi iunctam ſanguine Sponſam
Legibus inuitis, Præſulibusq́; tulit.
Fulmine pontificis ſed tantis deſtitit auſis,
Deſerit & uetitas tradita nupta faces.
Ille duos Proceres in ſacri limine templi,
Dum ſibi reſtarent acrius, enſe fodit.
Protinus & baculo ſacrata pulſus ab æde,
Hæc mihi ne macules limina, Præſul ait.
Arma parant comites: gladios ne ſtringite clamat
Sueno, cognoſco meq́; meumq́; ſcelus.
Et plorans multum regales ponit amictus,
Atq́; petit nudo templa ſacrata pede.
Hic rex contrito proſtratus pectore, munus
Præſule diuinum perficiente, iacet.
Febre ſeneſcenti tandem correptus in æuo,
Concidit in campis Iutia culta tuis.
Cum tuus extinctum regem Roſchildia, præſul
Reſciuit: præſtans hic Guilielmus erat,
Soluitur in lachrimas uicinus morte, duosq́;
Contigua tumulos condere mole iubet:

Hinc iter ad magni crudelia funera Regis
Arripit, inq; uia uade miniſter, ait.
Et mihi deciſa fac conſtet ut arbore tumba,
Ito, ſit officij nec mora lenta tui.
Iuſſa facit: præſul iam cari funera Regis
Conſpicit, & ſocios ordine ſtare iubet:
Mox dilapſus equo, protrudit in ilia ferrum,
Et iacet in gelida brachia panſus humo.
Orantem comites credunt, Regemq; querentem,
Turbaq; ſurgendi tempus adeſſe refert.
Ille ſed æterno ſua clauſit lumina ſomno,
Frigidus & pulſo ſanguine totus erat.
Turba ſacerdotum plorant, tumbaq; cadauer
Regis, & ad tumulos oſſa ſepulta locant.
Infelix pietas carum quæ funere Regem
Non profectura merce ſecuta fuit.

HARALDVS VII. SVENONIS FILIVS, REX. LXIX.

Hic quoq; dira fouet cum caro iurgia fratri,
Quodq; negat ſanguis, uis inimica poteſt.
Inclytus & regni fratres certare ſenatus,
Audit, uter patrij ſceptra teneret agri.
Pronus & ad pacem, pia munera pacis Haraldus
Iactat & in cœlum laudibus usq; uehit.
At fera magnanimus laudabat bella Canutus,
Prætulit & propriæ fortia facta manus.
Pacis amans pulſo ſed regia ſceptra Canuto
Accipit, & uoti compos Haraldus abit.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 69 [35,-56 8°]

Ille nouas Danis ſtatuit proponere leges,
Quas tamen extremo noluit eſſe ratas.
Scilicet impietas, & iniqua licentia uulgi,
Optima, uix æqua mente, ſtatuta colit.
Rege ſub hoc roſei fera conſuetudo duelli,
E patrijs merito pulſa receßit agris.
Poſtremo templis, & ſacris deditus aris,
Sceptra duos annos cum tenuiſſet, obit.

CANVTVS IIII HARALDI FRATER, REX LXX.

Dira quid enumerem generoſi fata Canuti?
Quidue precer factis plebs truculenta tuis?
Primus hic infeſtis oppugnans Liuonas armis,
Præclarum ſtatuit quærere Marte decus.
Prælia laturus ſæuis fortißimus Anglis,
(Plebs negat exorta ſeditione) fuit.
Indidit & proprio liuentia uincula fratri,
Quod ſuus in bello noluit eſſe comes.
Dumq; negant bellum Proceres, & Danica tellus,
Inſani Martis feſſa labore fuit:
Rex tamen æternis nomen memorabile factis,
Et ſequitur patriæ fortia facta domus.
Quas tulit & leges frater reſcindit, Haraldus,
Fortiter & ſtatuit fasq; piumq; coli.
Quin etiam templis ſummos indixit honores,
Et ſacra qui tractant, raſa caterua, uiros
Hos uiolare nefas ſtatuit, ſtipatus ijſdem,
His largos ſumptus, donaq; larga dedit.

Rex illis etiam nimio coniunctus amore,
    Afflixit patriæ florida rura ſuæ:
Dumq́; graues decimas, & magna nomiſmata poſcit,
    Reſpuit ingratas Danica turba preces:
Et plebs in Regem ſtudijs adiuta potentum,
    Iras occulta ſeditione fouet.
Perfidus & Blacco populum ſedare furentem,
    Dum ſimulat, miris incitat ille dolis.
Territus auxilium Rex ſacris poſcit ab aris,
    Commendans ſummo ſeq́; ſuosq́; Deo:
Irruit hic populus ueſanis percitus iris,
    Cæſus & in primo limite Blacco cadit:
Illic ſicut erat ſacras proſtratus ad aras,
    Innocuum Regis transfodit haſta latus.
Quis furor ò ciues? ſcelus hoc ó Iutia tellus,
    Quam nunc multiplici laude decora, tegis.
Impie ſed Blacco, ſero dicêre ſub æuo,
    Quamq́; feres laudem, proditor omnis habet.

OLAVVS III. CANVTI FRATER, REX LXXI

INclytus hunc iuſto puniuit carcere frater,
    Quo cæſo patriæ liber ad arua redit.
Pœna manet ſontes: nec ius contemnere tutum,
    Quiq́; Deos poterint lædere, pœna manet.
Dania tum cæſi miſeranda piacula regis,
    Damna tot & patrij uidit acerba ſoli:
Scilicet immerita conſumptum morte Canutum,
    Numina ſunt multis teſtificata malis.

Annus

Annus & ultrices, & ſolis tempora pœnas,
Totius & rutili flagitat ordo poli.
Aëris & uitium, pœna graßante Deorum,
Daniacos agros per duo luſtra premit.
Verq́; negat flores, nimio ſiccantur & æſtu
Agricolis mœſta ſemina iacta manu.
Si qua uel in tenues duxerunt culmina ſpicas,
Perdidit hæc calida Syrius acer humo:
Irriguis ſed iacta locis, & uallibus imis,
Autumnus nimijs obdidit udus aquis.
Hinc annona ferox, & Danos triſtis egeſtas
Compulit extremæ ferre pericla famis.
Nec ceßans ſubito, bis quinq; ferociter annos
Seuijt iſtius uis diuturna mali.
Deficiensq́; fame, magnæ pars lurida plebis
Eſuriens, ſtygios pene uorarat agros.
Peneq́; nil reliquum regi (quis credat) Olauo,
Tot ſumptus aulæ quo tueretur, erat.
Forte die feſto cum magnos clara paratus,
Et ſolet immenſas aula uidere dapes:
Aſpiciens menſæ turbam, tenuemq́; culinam,
Rex multum lachrimans, & gemebundus ait.
Summe pater miſeros ſi ſtat ſententia Danos
Perdere, ſi ſontes iraq́; iuſta premet.
Parce precor miſeris, & quod meruere, precamur,
Me ſine pro patrijs eſſe piamen agris.
Dixerat & ſubito fatis extinctus acerbis,
Inuenit faciles in ſua uota Deos.

Et cum

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 69 [35,-56 8°]

Et cum Rege fames toto fugit improba regno,
Et Ceres, & frugum gratia larga redit.
Hunc amor & patriæ triſtis iactura ruentis,
Ante diem ſtygios egit adire lacus.

ERICVS III. OLAVI FRATER, REX. LXXII.

ARdua procerum uirtus euexit Ericum,
Sydus & antiquos eminet inter auos.
Corporis & dotes mira uirtute ſerenans,
Ille ſui meruit temporis eſſe decus.
Fortis Iulinæ ſedauit prælia gentis,
Et merito profugos punijt igne uiros
Præſul Apoſtolico proſcripſit fulmine Regem,
Hamburgi laceras qui ſouet urbis oues.
Ille ſed Aenëadum petijt non ſegniter urbem,
Auſoniæ cultos & peragrauit agros.
Atq; ſuam coram Romano præſule cauſſam
Egit, & hoc ſummo iudice uictor erat.
His, quibus Hamburgum priſco parebat in æuo,
Subdita præſulibus Dania tota fuit:
Ille ſed exemit patrias hoc fœdere terras,
Nec poſt ignoti præſulis ambit opem.
Clara peregrina ſic Dania libera lege,
Præſulibus proprijs condecorata fuit.
Inde Palæſtinas generoſus Ericus ad urbes,
Rex ubi deuoto pectore cæpit iter:
Sicut erat Danos inter longiſſimus omnes,
Sic comites longos optat habere uiros.

Protinus ex toto præſtantes agmine legit,
Vela dat & tepidis non reditura notis:
Nec mora, ueloci Bizanti mœnia curſu
Contigit, & Graij Cæſaris hoſpes erat.
Ille uiros longos, Heroica membraq; cernens,
Et pulchros habitus ſplendidulasq; comas.
Si pateris dixit, Regum pulcherrime, pictor
Huc ades, & longos hos mihi pinge uiros:
Tam niteat noſtras excellens forma per ædes,
Claraq; regalis ſit decus illa domus.
Dixit, & ingenti dimiſit munere Regem,
Ille ſed ad Cyprios uela retorquet agros:
Tendit eò Stygijs etiam mors orta tenebris,
Rupit & ignoto regia fata ſolo.
Dumq; gemit præſens clarum Regina maritum,
Mox comes iſtius manibus illa fuit.

NICOLAVS ERICI FRATER SVENONIS NATV MINIMVS FILIVS REX LXXIII.

ERgo ne iam triſtes ciuili ſanguine cædes,
Et referam lachrimas Dania mœſta tuas?
Dicta mihi felix, nulliſq; domabilis armis,
Nunc dolor ipſa tua concidis uſa manu.
Nunc ò tot miſeris heroica pectora bellis,
Cæſa querer terris, æquore cæſa querer,
In conſanguineas compactaq; fœdera cædes,
Totq; uerendorum triſtia fata Ducum.

Te

Te quoq; Vandalica mihi dicta Canute Thalia,
Daniaca fama nobiliore feram.
Cæſoriq; tuo meruit quæ carmina pangam,
Hei mihi non meritis Magne canende tuis.
Vos ego ſed triſtes Stygio ſub flumine manes,
Vos ego (tranſierit ſi Styga Muſa) precor.
Eſte leues uatiq; pio factisq; peractis,
Quæ plus iſtius carmine nota patent.
Vos quoq; dum memorat, regni quos cæca libido
Perdidit, immenſo ne trepidate metu:
Siq; canet quoſdam manibus cecidiſſe ſuorum,
Sit ſcelus antiquum iam meminiſſe ſcelus.
Sanguinis & priſci nec culpa nepotibus obſtet.
Interdum ueniam caſus & error habet.
Primum Nicolao nocuerunt ſceptra poremi,
Perdidit & canum celſa corona caput.
Ardua Vandaliæ qui ſceptra gerebat, & amplos
Henricus fauſto Marte tenebat agros.
Huic ubi Nicolaos materno pellere iure
Inſtitit, infauſtæ ter cecidere manus.
Aſt ubi nauali ſæuam diſcrimine pugnam
Integrat, immiti Dania clade cadit.
Pyratisq; nequit celeri dum cedere puppe,
Perdidit immenſas ſponte Canutus opes.
Iungitur Henricus ſed firma pace Canuto,
Perpetuaq; coit mutua dextra fide.
Vrbs tum ſeptenas quæ iactat in æthera turres,
Flumine non gemino cincta Lubeca ſtetit.

In Vuarico ſed parua ſolo, tum Vandala ſceptra,
Regis & Henrici iura ſecuta fuit:
Inter Vuandalicos Henricus gloria Reges,
Te celebrat patriæ patria terra patrem.
Hic indeſeßis dum Saxo Lotharius armis
Fulminat ad muros alta Cremona tuos:
Cæſaris adiuncto ſequitur fera caſtra Canuto,
Signaq; dat forti miles uterq; manu:
Hic pius Henricus, ſoboles dum creſcat inermis,
Dat conſobrino Vandala ſceptra ſuo.
Cæſar & impoſuit nomen regale Canuto,
Hæc illi mortis cauſa nefanda fuit.
Illius fauſti metuens iam fulmina Martis,
Inſidias illi Magnus ubiq; ſtruit:
Eius & aßiduè nomen Regale peroſus,
Occultas fraudes, perfidiamq; fouet.
Poſt ubi prorupit ſcelus exitiale, Canutus
Cæditur, hic patriæ fracta carina iacet.
Occidis ô patriæ ſplendor, ſanctißime Regum,
Et potuit tantum dextera dira ſcelus.
Te pietas, fleuitq; fides, mœſtißima uirtus
Te fleuit canas dilaniata comas.
Atq; ita, ſi me ſic & noſtros perdet alumnos,
Inquit, & impietas ſemper acerba premet:
Quid moror o iſtas mœſtißima linquere terras,
Et ualeant, uirtus crimina fœda fugit:
Dixit & inuiſis ſubito deceßit ab oris,
Et niſi poſt longo tempore Diua redit.

Quanta ſed hæc peperit crudelis prælia cædes,
Orba gemit multis Dania mœſta uiris.
Debita multiplici nam patria laude Canuto,
Ob ſcelus hoc uaria ſeditione furit.
Pellitur & patrijs Magnus truculentus ab oris,
Exul in ignota uiuere dignus humo.
Hunc genitor pactis reuocans ad ſceptra ſolutis,
Cum gnato patrij perdidit arua ſoli:
Funus at innocui populus lætale Canuti
Flens triſti ad patrios pectore condit auos.
Nobile Ringſtadium monumento buſta perenni
Cominet, & tanti ſplendet honore uiri.
Quoq́; loco cecidit, priſco fons abditus æuo
Dicitur æterno proſilijſſe lacu.

ERICVS IIII. CANVTI FRATER, REX. LXXIIII.

NIcolaos regnis cum pulſus ceſſit auitis,
Dumq; luit nati turpia facta ſui:
Impoſuit Regis diadema Senatus Erico,
Fraternæ uindex extitit ille necis.
Aemula regnandi rabies, ſceptriq́; Cupido,
Hei mihi quam multis exitioſa fuit.
Inuidiæq́; lues quæſitis improba regnis,
Peſtis quot clars abſtulit illa Duces.
Huic Phlegethonteo uirus plus acrius igne,
Addit & audaces Eumenis ipſa manus.
Hæc quoq́; tum triſtes ſocias, inamænaq́; linquens
Tartara, magnanimos egit in arma uiros.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 69 [35,-56 8°]

Et ſua Nicolaos repetit dum ſceptra fugatus,
Dania pene ſuo ſanguine merſa fuit.
Victus & excellens aſtu Toconis Ericus,
(Ripa tuas præſul Toco fouebat oues)
Aſt ubi ſe luſum ſenſit, bellumq; parari,
Iuſta laceßitus corripit arma furor.
Fecit & infeſtis ut Saxo Lotharius armis,
Longinquis premeret ſubdita iura plagis.
Armorum domitor Cæſar, paciſq; ſequeſter,
Milite Sleſuuuitios cum ſuperaſſet agros:
Siſtitur huic ſupplex, ficto ſed pectore, Magnus,
Inſidijs & te fortis Adolphe premit.
Fortis Adolphe tuæ gentis laus ardua, dicet
Holſtaticos inter te mea Muſa duces.
Cum ſua naufragum produxit ſigna ſub æquor,
Hoſtes in medijs uicit Ericus aquis.
Sed de fratre ſuo medio ſub Marte relictus,
(Nicolai partes ille ſecutus erat.)
Pons ubi ſtat ueteri dictus cognomine Vuera,
Victus, Noruagicam quærit Ericus opem.
Excipit hunc technis, turpiq; ſororius aſtu.
Rebus in afflictis ò ueneranda fides.
Inuidiaq; leui, grandi corruptus & ære,
Tentat in affinem triſtia quæq; ſuum.
Cautus at euaſit celeri ſua fata carina,
Ex alijs ſocios, armaq; quærit agris.
Iamq; manus ualidas precio contraxit & arte,
Armaq; uix plenæ ſuſtinuere rates:

Ergo ruens iterum patrias furibundus ad urbes,
Hoſtibus exitium, diraq; bella tulit.
At ubi cæruleis ſinus anguſtiſsimus undis,
Dictus ab antiquo nomine Fotha, iacet:
Occupat, & faſtis hoſte intercipit armis,
Cogit & in celeres uertere terga rates.
Strenuus at primo dum pugnat in agmine Magnus,
Hoſtibus & toties cedere turpe putat:
Concidit, & ſocios totis grauis obruit armis,
Et meritæ ſoluit debita fata necis.
Mœſtus at extremi genitor diſcrimine belli,
Sleſuuitiæ fugiens mœnia gentis adit.
Caſus at hic regem triſtiſsimus excipit, ô ſors,
O dolor, haud tutis anchora iacta uadis:
Cæſus & ob nati facinus miſerabile Magni,
Plebeæ ſenſit uulnera dira manus.
Infelix nimium, canis & debilis annis,
Non alia potuit morte perire ſenex.
Noruagico rediit iam Frater Haraldus ab orbe,
Venit & ad patrios in ſua fata lares.
Hunc ubi de medijs Scypdorpum cærula uillis,
Aſpicit incuruas æquora ferre rates:
In mare cum gnatis uiolentus merſit Ericus,
Quod nuper capiti mouerat arma ſuo.
O conſanguinei ſanctiſsima copula iuris,
Quam malè ſub regno, diuitijsq; uiges.
Mox ubi ciuiles paulum ſedauerat hoſtes,
Ruianos audax impetit hoſtis agros.

Gens & quæ coluit patrias Idola per urbes,
Fortiter illius Marte ſubacta fuit.
Primus hic (armiſoni dulcis uictoria belli)
Nauibus impoſitos per mare duxit equos.
Poſt hæc Noruagicum bello defendit Haraldum,
Militiæ quod erat ſigna ſecuta ſuæ.
Perdidit & geminos, gemino cum lumine teſtes,
Non aptus luci Magnus, inersq́; thoro.
Fœlix, Eſcyllus tumido ni pectore præſul
Tot procerum motus extimulaſſet, erat.
Hic uetuit forti ne clara Selandia Regi
Præberet uictas libera terra manus:
Sed uictum nummis Rex mulctat, & abſtulit enſe
Regales armis qui petiêre manus:
Iſta ſed in diras abijt diſcordia fraudes,
Regis & innocuum preßit acerba caput.
Ictus & indigna Rex laudatißimus haſta,
Graſſantis populi concidit ante pedes.
Sic inſons cecidit Graiûm fortißimus Aiax,
Sic Palamedeæ condoluiſtis aues.
Dij tibi dent meritas Plogi deterrime pœnas,
Et ueniam facto terra, polusq́; neget.
At regni toties ô incertißima tellus,
Regali quoties ſanguine tincta rubes.
Ne tibi ciuiles tam triſtia uulnera dextræ
Infligant, ſuperos flectere diſce Deos.
ERICVS V. AQVINI EX SORO-
re Canuti filius, Rex. LXXV.

Ciuili cecidit poſtq̄ ſtirpe regia bello,
Pars nec adhuc regni faſcibus apta foret:
Hic ſceptris ſubijt, ſumptis temerarius armis
Miles, & ignauo pectore pene rudis.
Huic, ob Pontificis, quo ſe iactabat, honorem,
Acria cum fortis Scania bella parat.
Prælia deſpiciens ſtolidæ rex aſpera plebis,
Mox cum pugnaci Præſule fœdus init.
Cautus & inſidias fallacis uitat Olaui,
Scanica qui pulſo Præſule rura tulit.
Hæc iterum fortis cum debellauit Ericus,
Defleuit uarias Scania fracta uices.
Illic & poſitus de magno Præſul Olauo,
Suſpenſus fœdas corpore pauit aues.
Hunc Iudæ ſimilem bellator dixit Ericus,
Et nece ſublatus conueniente fuit.
Pectore ſed facinus taciturno preßit Olauus,
Præſulis indignè fataq́; dira tulit.
Parq́; pari referens, tuus ô Roſchildia præſul
Indigna patrias morte reliquit oues.
Septus & in tenui nocturno tempore uilla,
Quando preces ſolitas, & ſtata ſacra legit:
Hoſtibus accenſo miſerum ſe lumine prodit,
Protinus huc celeri uenit Olauus equo.
Oppugnatq́; caſam, ſignis ſed fortibus impar,
Vſq́; moras præſul, colloquiumq́; petit:
Vtq́; petat, patula ſua profert colla feneſtra,
Hæc uiſus celeri truncat Olauus equo.

Hoc ſed commotus Romanus crimine præſul,
Iecit in inſidum fulmina Sueta Ducem.
Ille ſed à forti quinta uice uictus Erico,
Quæ petijt, nunquam regia ſceptra tulit.
Vandaliæ bellum quando tulit acer Ericus,
Hoſtibus abiectus, ludibrioq; fuit.
Extremum feſſos dum febris corripit artus,
Omneq; pallidulo corpore ſanguis abit.
Commutat uili regalia ſceptra cuculllo,
Deuotaq; poſt ſydera mente petit.

SVENO REGIS ERICI, QVEM PLOGVS INTERFECIT, FILIVS, EIVS NOMINIS III, ET CANTVS V. MAGNI FILIVS, REGES LXXVI. ET LXXVII.

HOS quoq; diſcordes bellum miſerabile Reges
Perdidit inſtinctu Mars uiolente tuo.
Alter & alterius dum ſceptris inſtat, & urget
Flebile funeſtæ ſeditionis opus:
Militis exciſas mœſtiſsima Dania uires,
Fleuit & in longos bella cruenta dies
Suenoni tribuit generoſa Selandia ſceptrum.
Et ſequitur Regis fortia ſigna ſui.
Iutia ſed magni tellus ſtudioſa Canuti,
Regali proprium tollit honore Ducem.
Hinc lis, & multæ diro conamine cædes,
Hinc Gradiue tuum prodijt omne ſcelus.

Et tulit Eſcillus Suenonis uincula Præſul,
Dum rebus fauit clare Canute tuis.
Vandalicas adeunt iuncto cum fœdere terras,
Exigua poterat Dania pace frui.
Aſt ubi non animis, bellum nec uiribus æquis,
Egit in hoſtili Danica turba ſolo:
Sueno ſuas uri (dubij ſors aſpera belli.)
Ruiano celeres ingemit igne rates.
Hinc conſanguinei lætalia prælia Reges,
Et renouant patrij damna, neceſq; ſoli.
Semper at infauſti uires cecidere Canuti,
Bellica nec miſero ſors ſatis æqua fuit.
Aſpera ſiue mari, ſeu fecit prælia terris?
Hunc ſemper uictum terra, fretumq; uidet.
Suecorum pulſus ſocialia reſpicit arma,
Spretus at hic turpi conditione fuit.
Tum quoq; Sarmaticas acceßit triſtis ad urbes,
At negat optatam ferre Polonus opem.
Aſt Hamburga tua dum tentat præſulis aures,
Saxonico patriam milite cinctus adit.
Vidit & hei triſtes Vibergum flebile cædes,
Illius & miſeris agmina preſſa modis.
Armeniæ uitam qui merſus in amne reliquit,
Arbiter imperij tum Fridericus erat.
Hunc triſti toties deuictus Marte Canutus,
A patrio profugus limite, poſcit opem.
Euocat & patrijs Suenonem Cæſar ab oris,
Paret hic, & ſubito Teutona rura petit.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 69 [35,-56 8°]

Mœnia iam tetigit Mauortis habentia nomen,
Hac Cæſar Ducibus cinctus in orbe fuit:
Hîc conſanguineas coniunxit fœdere dextras,
Sed pacem Danis Eumenis atra negat.
Rurſus & infeſtæ coeunt in prælia gentes,
Et uiolant pactum Cæſare diue tuum.
Crudeli Sueno petijt cum Marte Suëdos,
Rex illic tutus numine Suerco fuit.
Seu fuit hæc agilis uis omnipotentis Olympi,
Seu fuit hoc magicæ, ceu reor, artis opus,
Imbribus effuſis & grandine fulminat æther,
Disruptæq; poli dimicuere faces:
Et diuulſa feris pereunt caſtra procellis,
Inq; necem Danos frigus & error agit.
Militiæ ſocios ea ſors inuertit, & atrox
De crebris bellis orta querela fuit.
Diuaq; ſecura nullum quæ ſorte tuetur,
Suenonem uarijs fertq; rapitq; malis.
Illius & ſocias ſolitus ductare cohortes,
Iam tua Valdomarus Caſtra Canute ſubit.
Cumq; domi geminos Sueno iam ſuſtinet hoſtes,
Tertia gens illi Vuandala bella parat.
Maluit hac uerò cautus cum gente paciſci,
Impar quam triplicem ſuſtinuiſſe manum.
At iam Valdomari ſuſpecta potentia, Regem
Ad dirum poterat penè mouere ſcelus.
Inſidiasq; parat, quas non ſuccedere Cæſar
Pertulit, & generi non probat acta ſui.

Ergo ſub

Ergo ſub occultis quæ dudum prælia ſignis
Texit, Valdomarus nunc manifeſta probat.
Suenoniq; palam, ſibi iuncto bella Canuto,
Nunciat, & uires promit uterq; ſuas.
Tum profugum uidit fugientem Falſtria Regem,
Suenonem fortes & timuiſſe manus.
Exul apud Socerum ſed tres ubi degerat annos,
Te rurſum forti Iutia Marte petit.
Dux Leo Saxonicas iſto qui tempore terras
Rexit, tunc illi robur in arma tulit.
Tempore quo ſæuis uaſtata Fionia Sclauis,
Amiſit patrium penè ſubacta decus.
Iam tres magnanimos iunxit concordia Reges,
Et triplex ſceptrum Dania magna capit.
Pax erat, & pacta celebrant conuiuia pace,
Et Reges iras ſepoſuere truces:
At non Suenoni grauis, & memorabilis æſtus
Martis, nec regni pulſa libido fuit.
Regibus extinctis ſed Danica ſceptra duobus
Immiti ſolus fraude ſubire ſtudet.
Inter & occiditur conuiuia læta Canutus,
Menſaq; regali ſanguine tincta madet.
Valdomarus medias turbas, enſeſq; micantes,
Vix fugiens, læſum traxit ab hoſte femur.
Tantus amor regni, tantum uis impia ferri,
Noctis & obſcuri tam ualuere doli.
Non ſecus ac Lapythas quondã mons Pindus & Othrys
Spectarunt ruptis arma mouere Scyphis.

Valdomarus

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 69 [35,-56 8°]

Valdomarus repetens ſtructa te Iutia claſſe,
Incidit in ſœui bella moleſta Sali:
Surgit & eximio tempeſtas inuida cœlo,
Triſtis & afflictas diſsipat aura rates.
Antennæq; crepant nec contigit anchora fundum,
Et uento reboant uela retuſa graui.
Puppe tremit media, caſum iam iamq; minatur
Malus, & obliquas urget in ima rates.
Omnibus una uiris mors fata nouiſsima monſtrat,
Iamq; ſequi terra prælia, dulce putant.
Sic ubi Valdomarus uentos euaſit & undas,
Nauibus expoſito milite, triſtis ait.
Egregij Proceres, in cæſi fata Canuti,
Ac in Suenonis ſumite bella caput:
Occidit en inſons, & nos quoq; uulnere læſit,
Et uix hoc medica tollimus arte femur.
Et ius hoſpitij, ſacræ uiolataq; pacis
Fœdero, conuiuis & data rupta fides.
Hactenus: & dira Suenonis percita fraude
Quod petijt citius concio tota probat.
Mox prope Randuſium collectos arripit hoſtes,
Grande fatigatis turbat & agmen equis:
Sueno ſed elapſus, feſſuſq; ſub arbore nixus,
Turpiter obſcuri militis enſe cadit.
Exitus hic illi, regni quem concitus ardor
Perdidit, & ſæui uis iterata doli.

VALDOMARVS DIVI CANVTI FILIVS, REX LXXVIII.

Ardua

ARdua Valdomarum conſtanti gloria fama,
Ingenijq́; ferunt nobilioris opes.
Primus hic è patria ciuilia depulit arma,
Pacis & eiecto Marte reduxit opus
Punijt & ſontes ſcelerum, cæciq́; Canuti
Conſcia de patrijs pectora turbat agris,
Illi quiq́; femur ferro uiolarat acuto,
Quiq́; Canute tuum perdidit enſe caput,
Therleuum lachrymis, & molli uoce precantem
Supplicio Stygias paſcere iuſsit aues.
Infelix arſit triſti Roſchildia motu,
Et leuis agricolas traxit in arma rudes.
At ſcelus exoluit nummis, ſubiectaq́; Regi,
Peccati ueniam ſupplice uoce petit.
Rura petiturus ciuili Falſtrica bello,
Læſerat hæc falſa fama ſiniſtra fide:
Febre ſed arreptus, delatas turpiter urbes
Credidit, ultrices continuitq́; manus.
Bello Daniacis hic Sclauos ſubdit habenis,
Aruaq́; felici Rugia Marte capit.
Gens ea tum patrijs expulſis impia Diuis,
Cogitur æterno credere uicta, Deo.
Numen & horrendum, Sancti uenerabile Viti,
Nomen ab inuerſa quod pietate tulit:
Turpiter inſtructos deciſum conijcit ignes,
Corripit & falſum dira fauilla Deum.
Tota ſed ut ſummo gens Vandala dedita Chriſto,
Deſinat immundis thure litare Deis:

Rex

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 69 [35,-56 8°]

Rex ſua cum forti coniungens arma Leone,
Qui tulit inuicta Saxona rura manu:
Vandaliæ uaſtat populos, belloq́; timendus,
Roſtochij uix dum mœnia ſtructa premit.
At Leo munitum dum fulminat ante Demynum,
Vuolgaſti ualidas ille refregit opes.
At quanq̃ inuicti ſocijs non ſegniter armis
Fortia Vandalicis arma tulere plagis:
Non minus hos inter diros lis impia motus,
Et peperit clades factio ſæua graues:
Et Leo Valdomaro uicinos excitat hoſtes,
Illius ut regno triſtia quæq́; ferant.
Pax rediјt Ducibus: iunctis & fœdere dextris,
Bella facit Sclauis rurſus uterq́; feris.
Sentit & Eſcylli fallacis Præſulis iras
Valdomarus, Letricæ ruraq́; uaſta petit.
Præſulis hic uaſta ſtetit urbs munita palude,
Regali cecidit uicta ſed illa manu.
Regis & immenſis Præſul deterritus armis,
Spreta diu precio munera pacis emit.
Buriſumq́; domat regni diadema petentem,
Inijcit inuito ſæuaq́; uincla Duci.
Rex ubi Noruagiæ penitus ſibi ſubdidit agros,
Compulit hanc certum pacis obire iugum:
Vt, quoties lectis Mauortia Dania ſignis,
Grande cruentati Martis obiret opus:
Bellica ter denas toties Noruuegia naues
Mittat, Daniacos auxiliata Duces.

Nobilis imperij Fridericus gloria primus,
Hunc ſibi Daniacos ſubdere iuſsit agros.
Ille negat, patriæ libertatemq́; tuetur,
Cæſaris & forti deſpicit aure minas.
Vt tamen imperij ſit maieſtate uerendus,
Cæſareæ ſubijt iura fidemq́; manus.
Hinc ſancti cineres, diuiniq́; oſsa parentis
Inuocat, ad tumulos & ſacra iuſta facit.
Infert & rutilo patris miracula cœlo,
Cœlicolisq́; nouum iungit honore Deum.
Et ſacra conſtituit ſolennibus annua uotis,
Hic ubi Ringſtadij mœnia parua iacent.
Mox ubi falſa fidem, iurataq́; numina læſit,
Vandala ter ſummo gens ſubigenda Deo.
Valdomarus Chriſti ſacrum non paſsus honorem
Immundos toties dilacerare canes:
Quas potuit, fido comitatus præſule uires
Armat in exitium Vandale dire tuum.
Quaſsat Iulinæ præruptaq́; mœnia gentis,
Mœnia nauifragis iam cooperta uadis.
Tum quoq́; per Viadrum cliuoſi tecta Stetini,
Et premit infeſta te Pomerane manu.
Preſsit & antiqui confinia rura Camini,
Et bello ciues terruit Oſna tuos.
At cum Vandalicas animoſus uictor ad urbes
Sæuit & infidos enſe coercet agros.
Intereà quoſdam lætales nectere fraudes,
Atq́; ſibi ſenſit bella parare domi.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 69 [35,-56 8°]

At ſcelus ut patuit, natiuas conſcia terras
    Pars fugit, ignotam quærit & exul humum.
Magnus at imperij reus aſpiciente ſenatu
    Delicti ueniam, rege ferente, tulit.
Tempore quo præſul canis Eſcyllus ab annis,
    Officij liquit munera ſacra ſui:
Et cedens ultro: baculum, ſanctamq́; thiaram,
    Abſolon inſigni præſul honore tulit.
Pergit ubi ſæui fraus infeſtiſſima Magni,
    In merito dignus carcere clauſus agit.
Carolus & pugna perijt captusq́; Canutus,
    Proq́; ſua pœnas proditione luunt.
Aſt ea ſeditio patrijs dum ſæuit in oris,
    Accidit hic digna res memoranda fide.
Ecce ſub arenti cumulati littore mures,
    Inſilit undoſum denſa caterua ſalum.
Eijcit impatiens defuncta cadauera Pontus,
    Et mus in gelido plurimus amne fluit.
Quid facient homines? dū ſorte premuntur acerba,
    Beſtiolas uitæ pænituiſſe liquet.
Hoc ſors prodigium perituræ flebile plebis,
    Arma ſuo Regi dum fera ſtruxit, erat.
Præſulis & mures nocturno tempore ueſtem
    Dum rodunt, ſacras & populantur opes:
Fors erat ut ſumptis plebem compeſceret armis,
    Dum templis reditus, & ſacra iura negat.
Tempore quo celebrem Cæſar circundedit urbem,
    Quam cingit lentis pulchra Trauena uadis:

Euocat

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 69 [35,-56 8°]

Euocat æquæuum fortis Fidericus amicum,
Et noua cum magno fœdera Rege facit:
Prolis & alternæ ſocialia uincula nectūnt,
Cæſaris & gnato Regia nupta datur.
Sudor ut exiliens morientis membra reſoluit:
Vndiq; regalem ueſte tegente thorum.
Occidit occultè plorantes inter amicos,
Rex patriæ ſummo dictus honore pater.
Abſolon extincto funebria munera ſoluit,
Et buſto lacrymas Dania mœſta dedit.

CANVTVS VI. VALDOMARI FILIVS, REX LXXIX.

ILLE parentales tumulo dum condidit umbras,
Legitima ſubijt rura paterna manu:
Fortis & ignauum bello repreſſit Haraldum
Scania quem legit ſeditioſa Ducem.
Libertatis amans, patrium dum ſubdere regnum
Denegat imperio maxima Roma tuo:
Arma Bugiſlat Rutanis uicit in oris,
AEquoris & roſeas ſanguine tinxit aquas:
Cæſaris hic iuſſu quingentas margine naues
Soluerat in cladem Dania clara tuam.
Abſolon at Sclauos crudeli clade ſubegit,
Vulnus & in longos hoc gemuêre dies.
Diripit & præſul præclaras Abſolon urbes,
Quas quoq; iam preſſo ſignat arena ſolo.
Illa ſed accenſam uictoria Cæſaris iram
Incitat, inuidiam conciliatq; grauem.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 69 [35,-56 8°]

Ac ut opes minuat, uel Regia ſceptra Canuti
Submittat Latio non inhonora ſolo:
Depoſcit gnato pactam cum dote ſororem,
Vrget & extincti fœdera pacta patris.
Mox ſoror à forti magna cum dote Canuto,
Mittitur ad fines Teutonis ora tuos.
Hanc tamen iratus Cæſar, cupidusq; nocendi,
Ad patrios, ſumpta dote, remiſit agros.
Aſt ea magnanimo non indubitata Canuto,
Cauſa laceßitæ ſeditionis erat:
Abreptasq; ſibi de Cæſare deijcit urbes,
Fumat & accenſis plurimus ignis agris.
Inuia, quo multo Dithmerſia tempore, ponto,
Daniacum ſubijt libera terra iugum.
Qui tum Sleſuuicijs Antiſtes præfuit agris,
Valdomarus patriæ gloria, flosq; ſuæ:
Cum regni iuuenis ualidas ambiuit habenas,
Danica Germanos mouit in arma Duces.
Hinc Saxo, ſæuis illinc Otho Marchio ſignis,
Et comes Holſtadij fortis Adolphus agri,
Acriter inſurgunt omnes: ſed præſide capto
Germanos uicit Dania magna Duces:
Poſt ubi prælustri bello conflixit Othoni,
(Captiui uindex Præſulis ille fuit.)
Agmina turbatis ſua uidit cedere ſignis,
Aſpera cum fortis Marchio bella facit.
Dania ſed robur tum magni uicit Adolphi,
Ducitur à uicto prædaq; multa ſolo.

Fluminis

Fluminis Eidori uaſto ſub margine ſtabat,
Arx de Reinoldo nomen adepta Duce:
Illa fuit palis uaſtis munitaq; foßis,
Holſtatici limes, Daniaciq; ſoli.
Deditur hæc Regi: ualidos hinc ſæuit in hoſtes,
In patriam nocuum cum meditantur iter.
Tum quoq; Daniacæ generoſa Lubeca coronæ,
Regis ab hoc forti ſubdita patre fuit:
Hanc urbem magno cum uiſit honore Canutus,
Ciuibus & leges, iuraq; certa dedit.
Obruitur morbo, patrijs & redditus oris,
Fila ſeni triplices dißecuere Deæ.

VALDOMARVS II. CANVTI
Frater, Rex. LXXX.

MERcibus omnigenis, & bellis apta gerendis,
Filia Mercurij, Pallade digna ſoror:
Vrbs iacet & geminis latè circundatur undis
Margine Vachneſis, glauca Trauera tuo.
Hæc ſed Marte fero priſcis animoſior annis,
Valdomari rupit, libera facta, iugum.
Victor is Holſtatico toties congreßus Adolpho,
Traxit de patrijs agmina mille plagis.
Hunc ubi propulſum patrio de rure fugaret,
Efferus Hamburga rurſus in urbe capit.
Arx uetus à forti nomen quæ clara Leoni
Cominet, & ripis adiacet Albi tuis:
Vincula, Valdomaro duris ſed reſtitit armis,
Soluißet domini deditione ſui.

Ergo comes patrijs rapitur captiuus ab agris,
Inq́; peregrino fert fera uincla ſolo.
At licet obſeſſum Segebergum milite, longam
Pertulerit uictu deficiente, famem:
Attamen extrema conſumpta cibaria ſorte,
Occulit inſigni Saxona turba dolo:
Arcis & albenti deſparſit mœnia calce,
Albis & in tecto puluis ubiq́; patet.
Hoſtis abundantem calcem ratus eſſe farinam,
Obſeſſa celeres mouit ab urbe pedes.
Quem frater uicit, uinclisq́; coërcuit arctis,
Valdomaro, bellax præſul & arma ſtruit.
Cum Stadium triſti deleuit nobile clade,
Occiduas Arbis qua maris intrat aquas.
Albidos ut gelidas Otho quartus terruit undas,
Cæpit & à falſo mœnia dicta Ioue:
Ardua Valdomarus ſoceri mox arma retundens,
Enſe ſibi raptas uendicat urbis opes.
Immenſo Boreas altas qui frigore pinus
Diſſecat, & ſtrictu comprimit arua gelu:
Ille ſub Eois & bello Liuonas oris,
Sub iuga ter ſummi compulit ire Dei:
Eius ubi fauſtis opulenta Reualia ſignis,
Ad maris horiſonas condita floret aquas:
Hic aliquot ſtructos coluit dum luſtra Penates,
In ſua natiuos uela reflexit agros:
Sortis at infelix non candida ſigna reduxit,
Nec tetigit fauſto patria rura pede:

Namq; Sucrinæus comes in fera uincula iactum,
Henricus, patrijs extrahit acer agris.
Audax ô facinus: ſupplex cui uenerat, illum
Succeſſu felix, inſidijsq; capit.
His liber uinclis, ueſana recurrit ad arma,
In coniuratos tentat & ire Duces.
Agmen ſed ualidum quod tum produxit in hoſtem,
Fregit in Halſtatico Saxona turba ſolo.
Rebus & afflictis, animos extollit iniquos,
Cedit & à pacta dura Lubeca fide,
Quæ cum magnifica pro libertate ſubiuit,
Qui uolet, ex alio carmine, facta leget.
Et quibus inſidijs Danorum uerterit arcem,
Et quali perijt Danica turba nece:
Non ea res tenui uerſu dicenda, nec unq̃
Tam mea uerſutum Pieris auſit opus.
Ille ſed inuaſit ciues cum claſſe rebelles,
Inuida tentatum ſors malè uertit opus.
Et patriam repetens inhonoris triſtior armis,
Mortuus, hinc annos tres ubi uixit, erat.

ERICVS VI. VALDOMARI FILIVS, REX LXXXI.

Felix, à dubio quem ſors tutiſsima regno,
Ignotum tenues collocat inter opes:
Obuia funeſtæ Regum diademata fraudi,
Inſidias, cædes curia Regis habet.
Ignis & æquoreæ prius admiſcebitur undæ,
Viuet & in medijs arida flamma uadis:

Aemula quam regni ſocium perferre Tyrannus,
Aut poterit triſtes ponere corde metus.
Ceſpes adhuc ſtabat lento uoluendus aratro,
Martia ſeptenis urbs modo cincta iugis.
Dum Remus infelix fraterno concidit enſe,
Vrbis & inceptum ſanguine ſparſit opus.
Labdacidæ iuuenes, ſeptem poſt funera Regum,
Turpiter alterna ſuccubuere manu.
Solus ut Argiuas tutus moderetur habenas,
Quinq; decem Danaus ſuſtulit enſe procos.
Quid non Aſtyages, timuit dum ſomnia, tentat?
Harpagus ut Cyrum perdere iuſſus erat.
Hæc procul á noſtris feritas crudelior annis,
Solum digna feros dilacerare Scythas.
Talia pro meritis hi captent prælia factis,
Qualia Tartareus ſoluere Pluto ſolet.
Qualia ſors etiam crudelis cæpit Abelus,
Quando nouus ſtygios accola uidit agros.
Illé Cainino de nomine nomen haberet,
Inuidia cuius frater Erice cadis:
Qui miſer æquoreos conſparſit ſanguine piſces,
Cæſus ut in naui, fratre iubente, fuit.
Occiderat fato Dux Vuenceslaus eodem,
Dum tenuit ſceptrum culte Boheme tuum:
Nec mora, promeruit diuinos martyr honores,
Propitiumq; ratus numen habere, fuit.
Illius aßiduis implorans numina uotis,
Sæpe iacet gelida ſtratus Ericus humo.

Fors prece defeſſus, noctis ſub tempore lectum
Capturus ſomni munera grata petit.
Prima ſoporatos requies ubi cæperat artus,
Inq́; fatigato mente profunda ſtetit:
Mox VVenceslaus ſomni ſub imagine Martyr,
Viſus erat tales edere uoce ſonos:
Rex mea perpetuis qui poſcis numina uotis,
O mihi dilecti fratris amate loco:
Quem colis, en adſum: nec fas me fallere quenq̃,
De me diſce tuæ fata futura necis:
Tu quoq́;, qua cecidi, fraterna fraude peribis,
Dignus in aſtrifero nomen habere polo.
Ante tamen nobis fac condas templa, priusq̃
Frater ad Eliſios te nece mittet agros.
Dixerat: & Regis timidas uox terruit aures,
Lentus & ex imo pectore ſomnus abit.
Protinus iniunctas & Diuo conſtruit aras,
Horret ubi denſo Liuona terra gelu.
Iſtaq́; ſollicita meditatus ſomnia mente,
Non euitandum robur habere ratus:
Fraternas adijt, recti ſibi conſcius, arces,
(Frater Sleſuuitios rexit Abelus agros)
Viſa ſed hic triſtes habuerunt ſomnia uires,
Et Rex immiti cæſus ab enſe cadit.
Eſt propè Sleſuuitiam dictus cognomine Slya,
Anguſto reprimens tramite uela, ſinus.
Huc ubi Rex ductus lætali claſſe ſederet,
Lago terribili talia uoce canit:

Tempus adeſt: uixti: iam gratam deſere lucem,
Eripiet ſæua te uia nulla nece:
Ille refert mœſtus: nec enim non tale timebam,
Cum tibi carnifici præda petita feror.
Sciuimus & manibus fraternis eſſe cadendum,
At celeri nimium mors uenit atra pede.
Dixit. & ex animo faſſus delicta, ſecuri
Regia (pròh fatum.) colla ſecanda dedit.
In mare demiſſum uaſta cum mole cadauer,
Dira ſed inuitis piſcibus eſca, datur:
Et negat hoc Nereus imo putreſcere fundo,
Littus & ad bibulum turba marina tulit.
Nunc ubi regali tumulatum more quieſcit,
Omne, dies donec puniet una, ſcelus.

ABEL DVX SLESVVITIAE ERICI FRATER, REX LXXXII

DEmens innocuo partum qui ſanguine regnum
Perpetuum, fato non renuente, putat.
Hoc negat ultrici Nemeſis diriſſima lance,
Quæ ſolet iniuſtos exagitare uiros:
Illa dolos, rigidis memor & ſcelus omne tabellis
Annotat, æternum culpaq́; uota manet.
Et quo mortales enormi crimine peccant,
Hoc citò, uel ſerò debita pœna uenit.
Perdidit & ſubitò, regnum quod cœpit Abelus,
Nec læto potuit pectore pace frui.
Turpia ſed patrijs dum prælia conſerit oris,
Victoris fuſo milite ſigna fugit,

Illi diſsimilis, quando Miltorpius hoſtis,
Aſpera Daniacus prælia fecit eques:
Hunc, niſi profuſo fraterno ſanguine regnum
Cœpiſſet, tenui debilitaſſet ope.
Signa ſemel bis ſex properato Cynthia curſu
Explerat, quando rurſus ad arma uenit:
Hic miles Fhriſijs ignobile ſoluit in agris
Fatum, ruricolæ plebis & enſe cadit.
Tutus ab inuidia pacatos exige ſoles,
Regalis dubia gloria ſorte tumet.

CHRISTOPHORVS ABELIS FRATER, REX LXXXIII.

PROnior ad mollis uernantia tempora pacis
Chriſtophorus ſæuo tutus ab hoſte fuit.
Forſan & extremos clauſiſſet pacifer annos,
Ni foret armigero pax inimica Deo.
Ille graui comites egit conſurgere bello,
Holſtatiæ cultum qui tenuere ſolum.
Proq; ſuo triſti pugnantes Marte nepote,
Rex fera cum cara coniuge uincla tulit.
Sors ea ſeu patrem, gnatum uel preſsit Ericum,
Annales certa non retulere fide.
Oſor luctifici placido nam tempore Martis,
Chriſtophorus canos exigit uſq; dies:
Contentusq; ſuo, non tendens latius, agro,
Inſidias prudens, bellaq; nulla tulit.
Donec ad æthereas illum mors ſuſtulit arces,
Quas homini uirtus conciliare ſolet.

ERICVS VII. CHRISTOPHORI Filius, Rex. LXXXIIII.

VRbs q̃ Coldingum ualidam complectitur arcem,
Primus hic è uili traxit in aſtra loco.
Sleſuuitiæ Ducibus patrias hic fortior arces,
Peneq́; deuictas miles ademit opes.
Aſt ubi Valdomarus primos euaſerat annos,
Et ſceptris aptus, militiæq́; fuit:
Hic meruit patrias ſancito fœdere terras,
Cunctaq́; Sleſuuitij iura tenere Ducis.
Tunc quoq; bellacem penitus Rex deſtruit arcem,
Tundera quæ ueteri nomine dicta fuit.
Nempe laboriferis nimium contermina Danis
Crebro Sleſuuitias milite iuuit opes.
Tempore quo diris uaſtatur Scania flammis,
Magnus ut è Suecis protulit arua plagis.
Efferus hic fratrem regni de parte fugarat,
Exul Daniacis ille latebat agris:
Magnus adeſt, belloq́; petit, non ille peroſus
Arma, ſui fratris ſuſtinet enſe manus.
Floruit ut felix tranquilla Dania pace,
Et belli curis liber Ericus erat.
Ilicet. (o facinus) quando foris atra quieuit
Lis, in ciuiles incitat arma manus.
A coniuratis & foſſus uulnere dextris,
Sternitur in patria clarus Ericus humo:
Fleuit & extinctum præſtans Otho Marchio Regẽ,
Et genero lachrimas dona ſuprema dedit.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 69 [35,-56 8°]

ERICVS VIII. ERICI VII. FILIVS, REX. LXXXV.

IRa, ſimultates, & triſti uincula collo,
    Pontifici peperit Lundia clara tuo.
Ille ſed Auſoniam profugus contendit in urbem,
    Qua ſcelus ob pretium deſinit eſſe ſcelus.
Pene ſed ambiguam ſubijſſet milite pugnam,
    Rex cum Voldomari contudit arma Ducis:
Cui tum firmata fœcunda Lalandia pace
    Ceſſit, & optato prælia fine cadunt.
Impiger ob ſpretam forti dum milite natam,
    Marchio Roſtochij mœnia uaſta premit.
Illius urbs tuto magnis ut uiribus obſtet,
    Daniaco ſubdit colla ſuperba iugo.
At citò pænituit ciues, Regiq́; rebellant,
    Vanaq́; per uentos iura, fidesq́; uolant:
Ergo rebellantem Rex agmine tendit ad urbem,
    Et citò deuictas dedidit illa manus.
Vrbis & ingenti uicina roſaria cætu,
    Regali luxu, lætitiaq́; replet:
Et celebrat multis conuiuia læta diebus,
    Quodq́; grauat, uacuo pectore ponit opus.
Collecto piperi, non apta Lubeca Deabus,
    Pierios uates quæ docuere modos.
Illius, expenſis annali tempore nummis,
    Sub patrocinio per duo luſtra fuit.
Ille duces multos concordi pace coire
    Compulit & cæptum linquere Martis opus.

Victus

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 69 [35,-56 8°]

Victus erat Suecis tum forte Sororius armis,
Fratribus à proprijs diraq; uincla tulit.
Huic tulit auxilium, coniunctis undiq; turmis,
Mouit in agricolas Suetia lata tuos.
Nil tamen, ablatis auido quam pectore prædis,
Profuit iſtius copia ducta manus.
Non caret inſidijs ſceptrum regale, petitus
Hic quoq; ciuili proditione fuit.
At res facta palam Diuorum numine, pœnas
Criminis autores perſoluêre ſui.
Quoq́; prius forti fuerat coniunctus amico,
Huic quoq; Valdomarus Marchio bella facit.
Acre parant agmen, magnis & uiribus ambo
In triſtes cædes, damnaq́; uaſta ruunt:
Cum citò de Stygia mors aduolat atra palude,
Falceq́; lætali tollit utrumq; Ducem:
Soluitur horribilis collectaq́; copia belli,
Magna quod indigenis cauſa pauoris erat.
Grande quidem precium, ſoluendaq́; gratia morti,
Mille animas potuit, ſuſtulit illa duas.

CHRISTOPHERVS II ERICI FRATER, REX LXXXVI.

VRbs quæ fraternos Stralſundia iuuerat hoſtes,
Daniacæ primum quam poſuere manus.
Cum uidit denſis ſua cingi mœnia turmis,
Et timuit terræ, diraq; bella mari.
Chriſtopherus multas patrio de littore puppes,
Duxit in ærumnas urbs capienda tuas.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 69 [35,-56 8°]

Caſtra ſed infeſtam poſuit uicina ſub urbem,
    Qui Dux Saxonicos rexit Ericus agros:
Mox & belligeri fera ſenſit uincula ciuis,
    Nec fauſto durum milite cœpit opus:
Soluitur & magnæ frendens exercitus urbis,
    Et repetit patrios, Marte dolente, lares:
Et Rex æquoreas ſua uela retorquet in undas,
    Effugit & fraudes Vandale dire tuas:
Et rediens laqueis innectere colla coegit,
    Qui fomes turpis proditionis erant:
Quas prodaui toties ducta domuere cohorte,
    Teq; potens patrijs Rugia ſubdit agris.
Holſatiæ Comites ciuili Iutia bello,
    Dum fouet, & Regis deſerit arma ſui.
Pulſus hic accenſa (regum ſors mira.) carina,
    Roſtochij profugus mœnia fida petit
Hic poſtq̄ laceras ſarciuit milite uires,
    Rurſus in abreptos ire uolebat agros.
Sed tum Valdomaro uenerandum Dania ſceptrum
    Tradidit, & Regi paruit illa nouo.
Valdomarus comites, quorum ſuccreuerat armis,
    Non operæ, latis immemor, auxit agris.
At Rex Chriſtopherum Segebergum cautior arcem
    Vincit, & inſidijs agmina fida necat.
Illius gnatus Gottorpia mœnia pulſans
    Læthęas adijt uulnere læſus aquas.
Cogitur & comitum Rex fœdera pacta ſubire,
    Quà iacet urbs tenui nomine dicta Luba.

Noluit

Noluit hanc firmam Procerum gens æmula pacem,
Arripit & forti bella ſeuera manu.
Deuaſtata graui tum triſtis Iutia clade,
Non gentis Stygios ciuibus auxit agros.
Dum rupti Comites patrueli Marte laborant,
Fratris Ioannis Rex pius arma iuuans:
Vincitur à forti pugna maiore Gerhardo,
Effugit & celeri uincla moleſta fuga.
Sic regni uarias faciente Cupidine curas,
Dumq́; leuis ſortis mille pericla tulit:
Chriſtophorus tribuit ſeris maturior annis
Corpus humo, rutilo pectora celſa polo.

VALDOMARVS III. CHRISTOphori Filius, Rex. LXXXVII.

IVtia captiui dum uincula uicit Othonis,
Hoſtis ut Holſtatico ſæuijt igne ſolo.
Rex infauſta dolens captiui prælia fratris,
Deceßit patria pulſus & ipſe ſua.
Tum quoq́; Sleſuuitijs malè Dux contentus habenis,
Ambit honorata Danica ſceptra manu.
Suſtulit has tandem Ludouicus Marchio rixas,
Regnaq́; Valdomarus Iure paterna capit
Rara ſed Holſtatijs iunxit concordia Danos,
Si qua fuit ſemper pax male tuta fuit.
Hoc quoq́; dum fœdus uiolant, iraq́; renata,
Fertur in Holſtaticos Danica turba globos:
Qua Scalimburgo ſe clara Fionia tollit,
Et ualida tutas arce tuetur opes:

Hic duo

Hic duo crudeli ceciderunt millia ſtrage,
Tinctaq; Daniaco ſanguine terra fuit.
Valdomarus ſummo cum non Lithuania Chriſto
Crederet, iniuſtos deuenerata Deos:
Aſpera Prußiacis fixit tentoria terris,
Fratris & adiuuit fortia ſigna ſui.
Cumq; Paleſtinas pietas inuiſere terras,
Cultus & extremæ relligionis erat.
Has etiam petijt, Latijs & præſul in oris
Contulit huic ſacræ munus habere roſæ.
Soluit iter cæptum, patrijs & redditus agris,
Rurſus in Holſtaticas ſæuit ut ante plagas.
Hic ubi crudeles arx VVerdinburga ſagittas,
Et tulit hoſtili fulmina miſſa globo.
Illic infeſtas ſubito pax læta cohortes,
Dirimit auſpicio Suetice magne tuo.
Libera depenſis & facta Lalandia nummis,
Non ex Holſtatica tollitur enſe manu.
Imperij Bauarus quando Ludeuuicus habenis
Inſtitit & ſceptris Carole quarte tuis:
Marchio Valdomarus falſo ſed nomine dictus,
Triſtia tum multos mouit in arma Duces.
Albertus telis illum tutatur & enſe,
Dux cum Gryphe nigri qui gerit ora bouis:
Quem contra patrijs Rex milite greßus ab oris,
Stargatij uictor mœnia celſa ſubit.
Quæq; Lycaonio nomen ſuſcepit ab Arcto,
Cingitur, urbs lentis qua Sprea currit aquis.

Nec piger Albertus uiolento Marte ſecutus,
Pugnæ terribiles ardet inire uices.
Et circumuolitans campos furialis Enio,
Iam pugnaturos incitat uſq; uiros:
Cum citò de rutilis uirtus delabitur aſtris,
Pugnandiq; feris mentibus ardor abit.
Congreſſusq; pio ſolum cum Principe Princeps,
Siccine nos perdet Mars uiolentus, ait:
Arbiter armorum Suecis Rex inclytus agris
Nil opus eſt fuſo ſanguine Magnus erit.
Nec mora, diffugiunt dimißis agmina ſignis,
Viſaq; tum uirtus robur habere fuit.
Vandalicas urbes, quarum niſi quatuor undas
Arctoi uaſtas accoluêre maris:
Vna ſed aſtriuagæ gaudet quæ nomine Lunæ,
In mareueliferas non habet illa uias:
Sexta repercuſſas toties maris excipit undas,
Bis trinus quoties alterat hora uices.
Has quoq; luctificis dum Rex turbauerat armis,
Indoluit nati triſtia fata ſui.
Ille globi ſæuo cecidit proſtratus ab ictu,
Hoſtis ubi primas ſenſit adeſſe manus.
Protinus auſpicijs belli gauiſa ſecundis
Intumuit miris ciuica turba modis.
Libera Daniaci petit & commertia Regni,
Et graue uectigal ſoluere poſſe negat.
At poſtq̃ totas odij patefecit habenas
Inſtitor, & grauium Nauita uector opum:
Vndiq;

Vndiq; ſulcebant hoſtiles Nerea claſſes,
Vaſtanturq; fera Danica rura manu.
Deditur arx etiam ciuilibus Haffnia turmis,
Et multæ miſeræ diripiuntur opes.
Ipſeq; Rex triſtes uerſans ſub corde dolores,
Inſidias ſtructas, & fera bella fugit.
Et procul à patria, collectis undiq; Gazis.
Suſtinet Heſperias exul adire plagas,
At tum colluutes, omni ſeruire Lucello
Prompta, ſed armiſonum neſcia Martis opus.
Tecta necaturis flammis, ſæuitq; rapinis,
Et uertit miſeris obuia quæq; modis:
Quid facerent Proceres? Rex abſuit, undiq; regnū
Hoſtili petitur, diripiturq; manu,
Dum quoq; fortaßis nimium mercator auarus,
AEſtimat amiſſas (ſic quia ſæuit.) opes:
Et precioſa ſui repetens compendia damni,
Miſcuit inſanis libera uota minis.
Nec quacunq; uia, aut capta ratione quieuit
Plebs caduciferi relligioſa Dei,
Quam pars illuſtris generoſa Selandia regni,
Huic cadat in longos lege tenenda dies:
Et data cum proprio tellus hæc urbibus agro,
Per binos annos, & tria luſtra, fuit.
Rex rediens pactum confirmat, & otia natu
Grandior & lætæ tempora pacis amat.
Illi uix placidi cum cœpit gaudia regni,
Finijt emeritos parca ſeuera dies.

Inq́; domos ſuperas hinc auolat, omnia doctus
Quam ſtet in ambigua Lubrica Diua rota.

MARGARETA VALDOMARI FILIA, TRIVM REGNORVM Daniæ, Suetiæ, Noruagiæ, Regina potentiſsima.

Qualis erat claram Nili quæ condidit urbem,
Qualis & in caſtris Turne Camilla tuis:
Qualis Amazoniæ laus claruit Orithiæ,
Qualis erat Phrygio Penthesilea ſolo:
Talis erat patrijs celeberrima Margaris oris,
Geſsit & audaci talia bella manu.
Eius erat toto notiſsima fama ſub orbe,
Et regni triplicis ſceptra Virago tulit.
Illa Duci primum ſolenni more Gerhardo,
Ius in Sleſuuitium contulit omne ſolum.
Addidit & certas formas, feudumq́; Ducatus,
Tranſtulit ad patriæ ſceptra decusq́; ſuæ.
Qui caput aurata geſtat cum Gryphe bouinum,
Monſtrat & antiquæ ſplendida facta domus:
Fortior Albertum uicit, Suecosq́; ſubactos,
Vnaq́; Noruagicos fœmina rexit agros.
Vix illa priſco mulier prudentior æuo,
Aut experta magis Martia bella fuit.
Illius occubuit teneris qui filius annis,
Nomine magnanimus dictus Olauus erat:

Hunc quidam forma ſimulans, ego, dixit, Olauus,
Viuo decus regni præſidiumq́; mei.
Non ego Lætheas, cecinit ceu fama per undas
Vectus, adhuc iſta, credite, luce fruor.
Vlta ſcelus diris illud ſed Falſtria flammis,
Perditur ignito perfidus ille rogo.

FINIS LIBRI SECVNDI.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 69 [35,-56 8°]

DE ORIGINE ET REBVS GESTIS REGVM DANIAE, ET Ducum Holſatiæ, Comitumq́ Schouuenburgenſium

LIBER TERTIVS.

ERICVS IX. POMERANIAE, A REGINA MARGARETA ADOPTATVS, REX LXXXVIII.

QVA iacet Eoi Pomerania margine Ponti,
Vndiq; piſcoſis terra repleta uadis.
Ille Ducum ueteri prognatus ſtirpe, coronam
Promeruit regni Dania celſa tui.
Inq; laceſſitus, quot habet uicinia gentes
Sæpius infeſto ſydere, bella tulit.
Dum flagrat ſæuo populoſa Lubeca tumultu,
Rectores triſti pellit & urbe Duces:
Rex domuit celſa plebeos mente furores,
Depulſos urbis reſtituitq; duces:

Grandeq́;

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 69 [35,-56 8°]

Grandeq; perpetuis & bellum flebile damnis,
Egit in Holſtatijs irrequietus agris.
Sex quoq; Vandalicas dum Mauors ſæuit in urbes,
Inq; fremunt toto claßica dira freto:
Dicite uos bibulæ colitis quæ Nerea Nymphæ,
Dicite, nam Diuas uos meminiſſe decet.
Quot texit gelidas ſubmerſa cadauera Pontus?
Eſca quot & bibulo dira fuere gregi?
Dicite ruricolæ petulantia numina Fauni,
Quiq; Dei hanc triſtem tum coluiſtis humum:
Mortua quot medijs uidiſtis funera campis?
Cum fieret crebris pugna cruenta locis.
Et quales arces, & quas euerterit urbes
Enſis, & ardentis uis inimica rogi.
Tuq; refer triſtes infelix Cymbria clades,
O tellus miſeris depopulata modis.
Dania dira tuus quid miles fecerit iſtic.
Quam triſti ſenſit gens ea cæſa nece.
Sleſuitiæ querulo referam quid uulnera uerſu:
Flenſburgumq; tuæ tempora mœſta famis:
Tundera ſiue tuas arx munitißima cædes,
Quando Daniaco penè cruore natas.
Quidue tot inceptam frangentia pectora pacem,
Prælia dum triſti ſeditione fouent.
Accitosq; Duces infectis limina rebus
Patria ueloci corripuiſſe pede:
Omnia quæ uellem querulo ſi dicere uerſu,
Muſa graues lachrymas an tenuiſſe potes?

O infelices populi, quos triſtis Enio,
Non ſinit optatos claudere pace dies:
Et quos aßiduis ſors impia territat armis,
Inq́; nouo ſemper uulnere, uulnus alit.
Tum neq́; funeſtæ ponebant prælia dextræ,
Nec prius inuitum pax pia rupit opus:
Quam præſtans alio ueniens Rumpoldus ab orbe,
Quo uiguit claro Sleſia culta Duce:
Cæſaris arbitrio crudelia bella diremit,
Et pacem feßis conciliauit agris.
Ille ſub Arctoo pacem dux inclytus orbe,
Præſtitit in terra, præſtitit inq́; mari.
Sed negat hunc patrias iterum mors uiſere terras,
Inq́; peregrino concidit ille ſolo.
Iamq́; quieſcebant enſes pauliſper & haſtæ,
Rurſus & attritis Villicus inſtat agris.
Et Rex ad Solymas iter ingens arripit urbes,
Plebeium cultu dißimulatq́; uirum.
Attamen effigie propria Rex proditus, iſtic
Cogitur immenſas pendere captus opes.
Vt rediijt, patrias redijt quoq́; triſtis ad urbes,
Rurſus & armigerum cæpit Erymis opus.
Et Rex ære nouo dum ſueta nomiſmata mutat,
Non placet indigenis uerſa moneta uiris.
Inde graues ortæ rixæ, triſtesq́; querelæ,
Quæ Regem uarijs implicuere malis.
Tum quoq́;, ſiue fuit naturæ cauſa potentis,
Siue fuit ſummi pœna Seuera Dei:

Aleces

Aleces bibuli tua littora Scania uitant,
　Omnis & hoc (mirum) piſcis ab orbe fugit.
Quæq; prius toto diſtendit retia Ponto,
　Iam luſit uacuas cærula turba manus.
Anteq; quas denſo coluerunt agmine lymphas
　Turmatim liquidi deſeruêre greges.
Nullus & in tremulo ſe mouit marmore piſcis,
　Ingens prodigium res ea uiſa fuit:
Nec quoq; defuerant, auſi qui dicere, pœnas
　Has Regem factis promeruiſſe ſuis:
Ergo ferox poſtq̃ ſopita reſuſcitat arma,
　Rurſus & inuitas diripit hoſtis opes:
Iam ſex Vandalicæ coniunctis uiribus urbes,
　Marte petunt unum flebiliore caput.
Hic raptas & opes, immitia damnaq; belli,
　Non mea, ſi poſſet, diſcere Muſa uelit.
Ipſe ſed omnigenæ mercator mercis auarus,
　Neue crocum poſſes perdere, neue piper:
Aut lucroſa domi, foris aut commertia tractes,
　Bella decent timidas non (mihi crede) manus.
Et te quas docuit, cura, Cyllenius artes,
　Alea Gradiui non tibi fida patris.
Si pugnare decet pro libertate, fociſq;,
　Vnanimi pugna, uel capiere, manu.
Tum quoq; ſæua tuas fregit diſſenſio uires,
　In tua cum uerſo uiſcera Marte ruis.
Scilicet utilitas rebus priuata ſiniſtris,
　Communes ſurda negligit aure uices.

Hæc inter triſtes facientia prælia curas,
Intumuit motu Suetia magna nouo.
Ergo repreſſurus diros Rex puppe tumultus,
Suetiaci petijt littora uaſta freti.
Protinus Eolijs rapidus Notus emicat antris,
Atq; repercußis æquora turbat aquis.
Puppis in aërias ſublataq; fluctibus auras.
Ima relapſuro uortice ſtagna petit.
Donec ab æquoreis diſſoluitur hauſta procellis,
Sæua laborantes mergit & unda uiros.
At ratis in tanto qua Rex diſcrimine uectus,
Vix ut arenoſo littore fixa ſtetit:
Laxa per occultas cæpit ſubſidere rimas,
Et maris ingeſtas naufraga ſorbet aquas,
Rex ubi cognouit cœpti quæ cauſſa tumultus
Extitit, indomiti ruptaq; iura ſoli:
Diſcedit tacitè, nec eò ueniſſe fatetur,
Ruraq; mutata Danica ueſte petit.
Hîc quoq; ciuiles quando conſurgere motus
Vidit, & inuidia ſeq; ſuosq; premi:
Veliferis iterum fugiens ſe credidit undis,
Deſerit & regni fortia ſceptra ſui.
Sæpe ſed unanimi repetitus uoce ſenatus,
Pacifica durum mente recuſat onus,
Impatiensq; doli, tot pertæſusq; laborum,
Vltima pacatos claudat ut hora dies:
Dulcia præpoſuit regalibus ocia ſceptris,
Et uoluit poſito conſenuiſſe metu.

Arx & ubi patriis Rugeuualdum nobilis oris,
    Suggeſto magnas aggere ſeruat opes.
Hic ſecura ſui traduxit tempora fati,
    Tranquillè placidos delituitq; dies.
Incola Dalmatiæ, modicisq; parentibus ortus,
    Arbiter imperij maxima Roma tui:
Non ſecus Eoo magnos ex orbe triumphos
    Cum tulit, imperij grande reliquit onus.
Solus & exegit priuatos molliter annos,
    Fortuna nullos, incutiente metus.
Fœlix quem uirtus medio cri ſorte beauit,
    Cuiq; leuis dubias temperat aura uices.
Obuia fulminibus, quantò procerior arbos,
    In tuto frutices delituêre loco.

CHRISTOPHERVS III. DVX BAVARIAE, REX LXXXIX.

NAtus ab antiquo Bauorum ſanguine Regum,
    Patria qua ſtringit piſcifer arua Lycus.
Inclytus Arctoum procul accerſitus in orbem,
    Cœpit in extremo Rex diadema ſolo.
Primus & Holſatico Rex hic conceßit Adolpo,
    Inclyta Sleſuuitij ſceptra tenere ducis.
Huic & opes belli quas ius crudelis ademit,
    Reddidit, & patrij iura uetuſta ſoli:
Marteq; felici ruralia bella diremit,
    Strauit & agricolas Iutia culta tuos.
Stat uetus oppidulum ſuſpenſis nobile ſignis,
    Marchica VVilsnacum nomine terra uocat:

Huc ubi concilium ſolenni more coëgit,
Aſpera clam ſtruxit bella Lubeca tibi.
Illius & thalamo primis Theodora ſub annis,
Marchiadum ueteri ſanguine, iuncta fuit.
Detur ut à claris collecta pecunia Suecis,
Turgida Suetiacum per mare uela dedit.
At rediens oritur medio nox atra profundo,
Solis & arripiunt nubila denſa iubar.
Fit fragor, & puppis uento laxata fatiſcit,
Atrox innumeras & mare perdit opes.
Ipſe ſed in media Rex tempeſtate rudentem
Arripit, & littus nauita dixit adi:
Littus adi, dixit, cum lapſus culmine malus
Conſperſit gelidis ora loquentis aquis.
Orba ratis uelis, plorantis & arte Magiſtri,
Fluctuat in medio, ceu leuis alga, freto.
Donec ad optatum Diuorum numine littus
Appulit, attonitos expoſuitq; uiros.
At Rex ſollicitus, dirum quas perdidit æquor,
Quæſtibus amiſsas ingeminabat opes.
Et maris incuſans æſtus, fluctusq; rapaces,
Optauit merito non bona fata mari.
Dura coarctarunt furibundum uincula Ianum,
Danica quo felix tempore ſceptra tulit.
Et componendis auido Rex pectore rebus
Inſtitit, & laceras fortiter auxit opes.
Senſit cum fatum fugituræ flebile uitæ,
Et ſua lætali corpora peſte premi.

Quos potuit Proceres uerbis affatur amicis,
Iſtaq; ſupremo tempore dicta dedit.
Non ego de ueſtris, ea res uos terruit, oris
Corraſi magnas aufugiturus opes:
Illaturus eram diræ ſed bella Lubecæ,
Quæ precor ut ueſtro Marte ſubacta cadat:
Illius ad muros, obſtat modo Parca, locaßem,
Ardua de ueſtris ſigna profecta plagis:
Hæc uobis ſupplex elapſis paruit annis,
Iam tumet in clades Dania magna tuas.
Dixerat, & reliquis confectis ordine rebus,
Molliter in caro concidit ille ſolo,

CHRISTIANVS ALIAS CHRIſtiernus, Daniæ & Noruuegiæ, Rex. XC.

HVius adhuc magni cũ Danica ſceptra nepotes,
Conſpicui meritis, iuſtitiaq; tenent,
Vnde ſit, & quali ſua duxit ſtemmata ſtirpe?
Protinus ut norim Phœbe ſaluber ades.
Dumq; potens priſcos uirtutibus extulit annos,
Illius meritis carmina digna cane:
Sic ego ſic iterum nobis Patareus Apollo,
Viſus plus ſolita fronte ſerenus, ait.
Diſce precor uates ueterum ſtudioſe laborum,
Quo duce me priſci temporis acta ſcias.
Nec te lapſa prius, nec te tua ſecula fallent,
Dum celebras Reges magnanimosq; Duces:

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 69 [35,-56 8°]

Me penes, & Muſas quibus impero, ſera uetuſtas
Ex ſolio ſummi prouenit illa Iouis.
Et mea, cui cinxit florentia tempora, laurus,
Huic comes, huic omni pandit & acta die.
Ergo metu poſito, quod me petis, accipe, noris
Vnde ſit iſtius gloria ducta domus.
Saxones horribili genus inſuperabile bello,
Fortiter Arctoas quà coluêre plagas:
Hos inter priſcis tenuit quæ nobile Chaucis,
Nunc Fhriſiæ tellus nomen adepta iacet.
Sceptra ſub occiduo quondam quæ regia Ponto
Cæpit, & armorum nomine clara fuit.
Et ſolum patrijs non Regibus illa ſuperba,
Illuſtres comites, progenuitq́; Duces.
Hinc uiget à priſcis ſtirps Aldenburgia ſeclis,
Regaliq́; uetus tollit honore genus:
Non procul irriguis quà uiſitur inuia campis
Vrbs & inacceſſas Brema tuetur opes:
Hîc ueteri Comites prognati ſanguine Regum,
Magnificas arces, & poſuere lares.
Et patrios inter generoſis Saxones armis,
Semper honorificum promeruêre decus:
Hic genus à magni deſcendit origine Regis,
Saxonicos timuit qui VVedekindus agros:
Forte nec, ignotis nimium quia labimur annis,
Hîc aliquid falſi me cecinisse putes:
Vera cano: ſæuos olim qui contulit hoſtes,
Egit & in celerem Danica caſtra fugam:

Hic

Hic Regibertus erat VVedekindi ſtirpe profectus,
Illuſtris ueteri dictus ab arce comes.
Huius erat frater patrijs Thitericus in oris,
Imperij cuius gnata leuauit onus.
Illa fuit magni Mechtildis mater Othonis,
Aucupis Henrici nupta ſecuta thorum.
Inclytus antiqua tam uenit origine ſanguis,
Qui iam Daniacos rite gubernat agros.
Ergo nec elapſis comes hoc antiquior annis,
Aut magis illuſtri nobilitate ſatus:
Vtq; genus patrium regali ſanguine ducit,
Principiumq; ſuæ nobile ſtirpis habet.
Sic quoq; quantumuis dura ſors ſæpe procella
Vertat & indigna fortia regna uice:
Præſtat & in ſimiles iterum ſuccreuit honores,
Iamq; tenet firma regia ſceptra manu.
Hoc nunc Holſatiæ præſtans ſe ſanguine tellus,
Tollit & æquoreis Dania cincta uadis.
Et gentes aliæ, quæ magnis ardua ſceptris,
Atq; lubens icto colla dedëre iugo.
Hæc mihi quærenti placido Deus edidit ore,
Pluraq; ſi uellem, dicere uiſus erat:
Mox ego: Phœbe tuo quos orno munere Reges,
Nitor & Aonijs ferre ſub aſtra modis:
Imperfecta mei ne ſit pars ulla laboris
Fas mihi ſit numen conſuluiſſe tuum:
Ille refert fas eſt: nec pluribus ipſe moratus,
Sollicito Clarium ſubſequor ore Deum:

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 69 [35,-56 8°]

Dic age quo Comites hi primum Cæſare facti,
Ornauere tuum Teutonis ora decus?
Adde graues rerum caſus, lapſoq; ſub æuo,
Cuncta paludoſis tecta paterna locis.
Et genus, & proauos, longamq; ex ordine ſtirpem,
Viuat ut in Pylios carmina nota dies:
Deſieram, mixto ſuſpiria longa dolore,
Ex imo ducens pectore, Phœbus ait.
Serius hei noſtro uates petis iſta ſub æuo,
Cum decuit, qui me nemo rogaret, erat.
Talia cum fierent, æuo mandaſſe decebat,
Aeternumq; forent munere nota meo.
Sic cum Sydonijs Neptunia Pergama Thebis,
Pugnantesq; manet fama benigna Duces.
Græcia ter felix, ter felix Itala tellus,
Cuius nota meo carmine facta patent:
At tu doctiloquis ſerò Germania Muſis
Cognita, tot priſcis laudibus orba iaces.
Orba iaces, bellis & nulli laude ſecunda,
Quid querar? ipſa tuis dotibus orba iaces.
Ergo quod ignota multi ſub nocte laborant,
Teutonici Reges, Teutoniciq; Duces:
Ergo quod obſcuris nigreſcunt omnia chartis,
Temporis & rebus diſcrepat ordo ſuis:
Da ueniam Thuiſcon: nullas Germania Muſas
Nouit, & abiecta fleuit Apollo lyra.
Nec tua mollities, leuis aut ignauia, tantum
(Quis tua non nouit prælia) crimen habent:

Quod tibi ſum notus priſco minus ipſe ſub æuo,
 Iam tua Lætheus deprimit acta ſitus.
Deprimit hos etiam regali ſanguine cretos,
 Et Comites partim fama uetuſta premit:
Namq; licet numerent ueteris primordia ſtirpis,
 Multaq; ſub certos acta relata dies:
Certa tamen ſeries, nec tempus origine conſtat,
 Cumq; ſuis rebus nomina tecta iacent.
Fœlix, quem turpi præſtans caligine uirtus
 Vendicat, & magnos collocat inter auos.
Nam uelut è nigris Sol aureus emicat aſtris,
 Formoſumq; refert, nube cadente, diem:
Non ſecus euexit uirtus hanc propria ſtirpem,
 Laus in ſublimi conſtituitq; loco.
At quibus in priſco factis excelluit æuo,
 Fama licet quadam parte maligna premat,
Nunc uero ſceptris quam Danica regna uerendis,
 Holſatiæq; manu iura potente tenet:
Et quibus immenſo claris ſe laudibus orbi
 Exerit, Vranie, iuſsit Apollo, cane.
Primus hic illuſtri Comitum de ſtirpe creatus,
 Qui patrium ueteri nomen ab arce ferunt.
Sceptra, ſalutiferi referens pia nomina Chriſti,
 Concordi Procerum Danica uoce tulit.
Improba cum pacto diſcedens Suetia iure,
 Impoſuit proprio regia ſceptra Duci.
Aſt uni rurſum ſubdat tria regna coronæ,
 Suetica collecta rura cohorte petit.

Inſula diues opũm, medio Gotlandia Ponto,
Daniacis iterum tum ſociatur agris.
Illa fuit priſcis fortiſsima patria Gothis,
Mercibus, & cunctis condecorata bonis.
Hic Viſbona fuit nitidis pulcerrima tectis,
Vrbs & in Arctoo gloria prima freto.
Humidus hic petijt ueneran dum nauta tribunal,
Protulit hæc certa iura marina fidę.
Illius extiterit quæ gloria gentis & urbis,
Plorat adhuc madidis incola ſæpe genis.
Fata trahu ut urbes: ſic fluctibus hauſta marinis
Perdidit antiquum Clara Vineta decus.
Legerat exorto quem Suetica turba tumultu,
Rex fugit ut patrijs Carolus acer agris.
Suecorum Proceres uno committere ſceptro
Rurſus auent ſtabili iam tria regna fide.
Ergo ſub hic uno triplex diademate regnum
Rex ſed non ſtabili lege, fideq́; tulit.
Dux ubi Sleſuuitiæ fatis exceſsit Adolphus,
Cui tunc Holſatij paruit ora ſoli:
Ille ducis titulos, patriæ fœcundaq́; terræ,
Sceptra capit regno conſocian da ſuo.
Et tum præteritis cui cedere noluit annis,
Cuiq́; graui bello ſæpe petita fuit:
Holſatiæ tellus peregrinis paret habenis,
Et ſequitur ſceptrum Dania magna tuum:
Cum rurſus (facinus.) pactæ contraria legi,
Mobilis exorta Suetia lite furit:

Et nuper meritò quem contempſiſſe ferebat,
Conatur profugo tradere ſceptra Duci:
Armaq; ſollicitis indicit triſtia Danis,
Illos & cœpto Marte ſecunda premit:
Dum quia conatur celeres conſcendere naues,
Vndiq; deiectos excipit unda uiros.
Regis ubi frater nimia plus parte Gerhardus,
Arripit Holſatij credita rura ſoli.
Huic grauis egregio cuſtodia ponitur aſtu,
Arx ubi de cupida dicta ſalute iacet.
Rex quoq; pontiuagos turbauit claſſe Britannos,
Intulit his medio damnaq; multa freto:
Aſt ubi traiectum Batauas ſupereminet urbes,
Res ſedata pari conditione fuit.
Sed commota ſemel ueſanis Suetia turbis,
Rurſum Daniacas audet adire plagas:
Hic ubi ter centum meliori uicta cohorte,
Liquit in infeſto corpora cæſa ſolo:
Rex improuiſus, cautis ut comprimat armis
Relliquias, ratibus Suetica rura petit,
Perq; niues medias, anguſtaq; clauſtra ferarum,
Martis ubi gelido tempore, cœpit opus,
Vincitur, & glacies fugientes aſpera plantas,
Militis excidit Dania mœſta tui.
Expulit hinc fratrem regno iuſteq; fugatus,
Holſaticos exul non repetiuit agros.
Auſonias etiam petijt fortiſſimus urbes,
Cum caput imperij Rex Fridericus erat:

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 69 [35,-56 8°]

Quodq; petit ſummo cæpit de Cæſare munus,
Cauſa grauis uoti uana nec ulla fuit.
Terra iacet tacitis quæ ſcinditur undiq; foßis,
Holſaticas iuxta, Daniacasq; plagas:
Nomen ab antiquis quod habet memorabile Marſis,
Quod ſit Teutonico ſanguine nata, docet.
Forſitan hic olim patrijs habitauit in oris
Marſus, & hæc genti nomina nota dedit.
Huic tres literulas iunxit longæua uetuſtas,
Et nunc Ditmarſos patria lingua uocat.
Ditmarſi duro genus intractabile bello,
Subdita non aliquo libera terra iugo:
In proprijs Reges ſed tuta paludibus omnes
Deſpicit, ac ultro, quod placet, illa facit.
Subdidit hanc Regi ualido ſed fœdere Cæſar,
Et uoluit dominis pareat illa ſuis.
Nec mora, quas triplices Comitis ſub nomine terras
Hæres legitima conditione tulit.
His inſigne Ducum, titulosq; meretur auitos,
Protinus & ſummo Cæſare dante capit.
Sic cum Stormaria præſtans Ditmarſica tellus,
Holſatij coijt fortis & ora ſoli:
Vt coeant ſine fine precor, Regesq; Ducesq;,
Tales perpetua dexteritate ferant.
At Rex Auſonia ſocijs digreßus ab urbe,
Contigit ut patriæ culta fluenta ſuæ.
Cæſaris arbitrium ſubiectas mittit ad urbes,
Iureq; conceßi poſtulat arua ſoli:

Hi renuunt, iuſſis & Diui Cæſaris obſtant,
Nec flecti monitis, uel potuêre minis.
Iamq; paludoſis eadem gens ſepta lacunis,
Iactat inacceſſi libera rura ſoli.
Et uelut Heluètij montano culmine clauſi,
Rura procul pulſa nobilitate colunt.
Non ſecus hæc tumidis ingeſto flumine foſſis,
Clauſa tenet dempto rura paterna metu.
Clauſalice teneat, cum Rex pius arma capeſſet,
Qui iam finitimæ poſſidet arua plagæ:
Aggeribus ruptis madidos Ditmarſia uultus,
Regis honoratos porrigit ante pedes.
Imbibit hæc multum, bello quæſita, cruorem,
Si ſapit abſtineat, ne bibat illa ſuum.
Rex hic Marchiadum Theodorã ſanguine ſponſam,
Conſortem puro duxit amore thori.
Poſt ubi ter denos & regnum quatuor annos
Tutatus magna dexteritate fuit:
Corporis exuuias tellus capit, ardua cœli
(Venerat hic olim) ſpiritus aſtra petit.

IOANNES CHRISTIANI FI=
LIVS, REX. XCI.

Hic quoq; magnificum tribuit cui gratia nomen,
Non humili nobis uoce canendus erit.
Eius & euicit multos induſtria caſus.
Dum rotat ambiguam Lubrica diua fidem.
Prima graues illi bellorum Suetia cauſas
Attulit, & fidum mouit in arma caput.

At prius Armenias uincet uulpecula Tygres,
Cedet & imbelli uicta Leæna capræ:
Et prius arentes deponit Syrius ignes,
Syluæ comas, tellus gramina, riuus aquas:
Quam ferat extremas tam ſæpe rebellis habenas,
Suetia montoſis inuia terra iugis.
Hæc pacem toties, iniectaq; uincula fregit,
Gentis in exitium Dania lata tuæ:
Et fera durities, & auiti ſanguinis ardor,
Impia contempta prælia pace tulit:
Eſt aliquid patriæ pro libertate, uel armis
Vincere, pugnando uel potuiſſe mori:
Sed toties bello florentem rumpere pacem,
Dedecus, an laus ſit, tempora noſtra probent.
Ergo tuos toties ô Suetia magna tumultus
Comprime, terribiles Martis & abde faces
Eſt tibi ſitq; precor bellis inuicta iuuentus,
Hæc minuat uires Ruſsia uaſta tuas.
Scis memor, & nullo tibi uirtus excidat æuo,
Rex ſorti fidus quam fuit iſte tuæ:
Cum te Moſcouiæ patrijs Dux læſit in armis,
Intulit agricolis pluraq; damna tuis:
Teq; domet penitus, legatis undiq; miſsis,
Daniacam crebro ſollicitaret opem:
Tum quamuis odio, ueſano plenaq; faſtu,
Iam iam crudeli ſorte premenda fores:
Dania ſiq; feris iunxiſſet caſtra Rutenis,
Cepiſſes dominos in tua regna duos:

Rex tamen hic uires nactus, tempusq́; nocendi,
Cladibus abſtinuit Suetia larga tuis:
Moſcouiæq́; duci quæſiti robora belli
Abnuit, inuiſam nec lacerauit humum:
Ipſa tamen uario tunc irrequieta labore,
Eius ſpreuiſti ſceptra, fidemq́; ſequi:
Te tamen extremo uicit uictamq́; coegit,
Sæpe recuſati uincula ferre iugi.
Hæc ſi clara tuam non carpens Suetia famam,
Ante uelut cecinit Muſa probata, cano.
Da ueniam: dubijs errat mens anxia rebus,
Sæpius & fato cogitur eſſe nocens.
Rebus & in multis non omnibus omnia conſtant,
Partis & à uitio cætera membra uacant.
Nunc mecum reliquos Clio decurre labores.
Regis & excelſum nomen in aſtra refer.
Terruit indomitos uictrici Marte Britannos,
Mercibus his plenas abripuitq; rates.
At coijt tandem iunctis pax aurea dextris,
Puppis & in medijs tuta cucurrit aquis.
Quid ſed dira tuas promam Ditmarſia cædes,
Tuta per obſcuras terra paluſtris aquas.
O miſeranda dies, Idus quæ quarta frequentas,
Qui ſua de febris nomine menſis habet:
Illa quot irriguis immerſit funera campis,
Illa quot illuſtres preßit acerba uiros:
Hic flos Holſatiæ tacitis crudeliter undis
Merſus, & immiti cæſus ab enſe fuit.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 69 [35,-56 8°]

Ergo paludoſis iterum pugnabitis oris,
Hei nimium uitæ prodiga turba tuæ?
Quam uos in ſolido, coeunt ubi prælia, campo,
Hoſti cum falſo dimicuiſſe, uelim.
Nunc ô nunc ſepti limoſis undiq; foſſis,
Turpiter immunda ſuccubuiſtis humo.
Pes nec humi figit, nec dextera protulit enſes,
Nec pugnæ ſeries, nec locus aptus erat.
At tibi pro technis, cœnoſis obſita lymphis,
Exoptes puros terra doloſa lacus:
Quid diſciſſa tuis ô fallaciſſima foſſis,
Mille per inſidas agmina ſternis aquas:
At tibi prædico, non omni tempore felix
Fraus, & crede mihi te quoq; poſſe capi.
Et licet inuicta te ſors in ſede locarit,
Ne modo uicinos ſperne ſuperba Duces.
Hac Rex horribili triſtatur clade ſuorum,
Indoluit triſti prælia cæpta die.
Nuper & euictos eadem uictoria Suecos
Mouit ab impoſito ſoluere frena iugo.
Sumpſit & audaces iterum plebs inſcia uires,
Ante flet & ſegnes nil ualuiſſe manus.
At Rex multiuagæ dum uidit iurgia plebis,
Deſeruit celeri Suetica regna pede.
Scilicet optabat, quam dira capeſceret arma,
Regnicolas meritis uincere malle ſuis:
Atq; thori ſociam malè tutis liquit in oris,
Nempe reuerſurus poſt breue tempus erat:

Vix ubi diſceßit, Suecas reuocatur ad urbes,
Intrat & ambigua fortia rura fide.
Aſt ubi dißidium, fraudes & ſenſit apertas,
Danica feſtino corripit arua pede.
Nec mora, ſeditio manifeſtis impia ſignis,
Inq́; pium Regem plebs inimica furit:
Turba fit, & toto ſurgit lis impia regno,
Et mixta proceres nobilitate fremunt.
Vrbs & collectis capitur Stocholmia ſignis,
Regis ubi coniux fida relicta fuit:
Captaq́; ſeruatur ſolo mœſtißima clauſtro,
Dum tulit autumnos Pleias orta duos,
Sed cum cardineo preſtans Raymaundus honore,
E Latijs adijt Suetica rura plagis:
Reginam ſoluit captam, caroq́; marito
Reddidit, & patrios illa reuiſit agros:
At fera ſeditio uires acuebat & iras,
Inq́; fero Suecos Dania bella mouet.
Nunc age belligeræ qualis fortuna Lubecæ,
Has inter rixas, inter & arma fuit?
Illa graues temerè dum Regis concitat iras,
Et ſequitur partes Suetia ſæua tuas:
Implicuit ſemet diuturno neſcia bello,
Multaq́; cum fecit, plurima damna tulit.
Ius & Daniaci penitus triſtißima regni
Perdidit, & nullas inde recepit opes.
Flet miſer æquoreas longum mercator ad undas,
Detinet ut plenas hoſtica turba rates.

Vrbs tamen inuitis Suecos defendere Diuis
Nititur, & claſſem per freta rauca trahit.
Quæ poſtquam Suecis iterum deceßit ab oris,
Quinq; rates medio deperiêre freto:
Cætera difficili rapitur uertigine claßis,
Nec uenit in portus celſa Lubeca tuos:
Talia debueras, urbs inclyta, damna timere,
Inconſulta feri Martis in arma ruens:
At belli ſocias cum quinq; receperat urbes,
Quæ de Vandalico nomine nomen habent:
Edere maiores forsan plebs ciuica ſtrages,
Ac hoſti potuit plus nocuiſſe ſuo:
Ciuibus at nullas Gradiuus tradidit artes,
Ceu decet, & nunquam fortia bella gerunt.
His neq; fida manus, quæ ſanguine gaudet & armis,
Et cum multa ferunt præmia, plura uolunt.
Inq; ſuos dominos cœpti ſors impia belli,
Sæpius exorta ſeditione ruit.
Namq; licet fuerit felix bellando, fatetur
Ipſa tamen clades ægra Lubeca ſuas.
Aſt ubi Fleuſburgum firmatæ gaudia pacis,
Vrbs eſt lætitia teſtificata noua,
Rex prius Alburgi, curſu quam mobilis annus
Finijt aßuetæ ſigna peruſta uiæ,
Occidit, & generum ſubiectas Saxo per urbes
Fleuit, ubi patrios alluit Albis agros.
Qui, donec licuit ueſci uitalibus auris,
Non potuit bello, pace ſilente frui.

Nunc heu, cum rediit patrijs pax aurea terris,
Tranſtulit emeritum Parca ſeuera ſenem.

CHRISTIERNVS II. IOANNIS FILIVS, REX XCII.

TE quoq; uenturis tranſmittam carmine ſeclis?
Sub merito preſſus Rex uiolente iugo:
An ſemper Stygijs ſine laude premêre ſub undis?
Ah tibi quæ laudem ſtella maligna negat?
Dic Dea quæ toto luces clariſſima cœlo,
O uirtus ſummi filia pulchra Iouis:
An faciles ultró penetrare facillima mentes?
Elegis & donis has cumulare tuis?
An pater omnipotens ſtimulis te cogit honeſtis?
Pectora iuditio flectere celſa tuo:
Tu niſi ſola tuo deſertas numine terras
Ornares, priſcum uerteret omne Chaos:
Ipſa tuos comites æternis uiuere ſeclis,
Et facis ætherei ſcandere tecta poli.
Infelix, uitijs ſi quis te deditus, odit,
Pro cœlo, Stygios incolet ille lacus.
Hîc aderit, ſacrum uiolat qui legis honorem,
Cuius & immani pectora felle ſcatent.
Hîc aderit patrio peperit qui triſtia regno
Damna, tot innocuos & tulit enſe uiros:
Forſitan hic eſſet, patrijs ſed captus in oris.
Rex luit hic ſortis præmia digna ſuæ.
Cuius ergo referam ſi ſingula carmine facta,
Neſcio quid pretij garrula Muſa feret?

Quid moror at precium, turpi non illita fuco,
Si bene quæ fuerint, & malefacta canet.
Vicit hic, enormi domuitq; tyrannide Suecos,
Et diris Stygiam cædibus auxit humum.
Omnibus & magnos furiata mente pauores
Iniecit, laqueis, enſibus, igne nocens.
Horret adhuc animus, ſortisq; prioris imago,
Indigenas terret Suecia lata tuos.
Dij quibus imperium curæ regniq; poteſtas,
Quosq; pijs precibus ſubdita turba colit:
Vos ô uos tales ſceptris auertite peſtes,
Et nolint tantum fata ſiniſtra nefas.
Nam quanq̃ ualido gens Suetica noxia bello,
Viſa fuit pœnas promeruiße graues:
Quis tamen has iras, tantæq; tyrannidis auſus,
Laudabit, Stygia factaq; digna domo?
Scilicet hæc æqua ſoluentes premia lance,
Et Deus, & Nemeſis peruigil ulta fuit.
Sex quoq; dum preßit damnis immitibus urbes,
Olim Vandalici quas coluêre uiri:
Arma parant, Suecos & claße feruntur ad agros,
Vlturæ cædes dire Tyranne tuas:
Pulſus & urbano poſſeßo milite regno,
Finibus exceßit Suecia culta tuis.
Quin etiam patrijs exoſus turpiter oris,
Deſeruit merita Danica ſceptra fuga.
Exul & occiduas cum coniuge tendit ad urbes,
Auxiliumq; tuum Carole quinte petit.

Huius Cæſareo nam coniux ſtemmate nata,
Summa fuit patriæ gloria, lausq; domus.
Quæ ſe cum potuit meliori ſorte tueri,
Illa Comes pulſo maluit eſſe uiro.
Huius ego meritas æquarim carmine laudes,
Cum nullus fluuijs in mare curſus erit.
Cum Rex occiduis robur contraxit ab oris,
Spes illi patriæ, quæ fuit ante, ſubit.
Captus at Aſclouia regni Maioribus urbe,
Iam quoq; captiuum ſuſtinet usq; iugum.
Suſtinet usq; iugum, male ductæ pluraq; uitæ
Facta luit, triſtes ſentit & ire dies.
At uos ſemidei, diuina potentia, Reges,
Quos terræ Dominos, iuſſit & eſſe maris:
Huius ab exemplo triſtes cognoſcite caſus,
Et uos quid deceat diſcite, quidue minus.
At tibi Dij quales uoueam turpiſſima pœnas,
Vnica tam magni cauſa Siburga mali?
Tune potes tantum quouis impellere Regem,
Siue ueneficijs, blanditijsq; tuis?
At tibi pro ſcelere hoc Niobæ, uel præmia Scyllæ,
Et mala quot tellus, quot tenet unda precor.

FRIDERICVS DVX HOLSATIAE, REGIS IOANNIS FRATER, REX. XCIII.

TE quoq; carminibus Rex laudatiſſime Regum,
Vt tua promeruit candida fama, canam.

Si tua

Si tua me pietas, tua ſi me maxima uirtus,
Orphæis ſineret ſoluere plectra modis.
Te certè ſeris laus digna maneret in annis,
Hic mea nec ſignis libera Muſa foret.
Frater Ioannes dum ſæuis æſtuat armis,
Teq́; Lubeca premit, Suetia teq́; premit?
Hic lituos inter raucos, & claßica Martis
Ocia conceſſæ dulcia pacis amat.
Oſor & armigeri belli, pacisq́; ſequeſter,
Compoſuit miti bella nefanda manu.
Præcipuè fratri pacis pius extitit autor,
Sanguineum Martis ſæpeq́; fregit opus.
Quærentem placidam toties hunc Suetia pacem
Vidit & amoto blanda Lubeca metu.
Propulſare feras terræq́; marisq́; rapinas
Si potuit nulla conditione tulit.
O quoties cari defleuit prælia fratris,
Quando tulit terræ, damnaq́; crebra maris.
O quoties dixit, quo te Mars impius egit?
Pone quietura prælia pone manu.
Illi dimidia quamuis Noruuegia parte
Subdita, non patrios iure negauit agros,
Attamen hæredis titulo contentus, habenas
Imperij fratri totaq́; rura dedit.
Dum Rex occiduas ceßit fugitiuus ad urbes,
Perdidit & meritis regna paterna ſuis:
Ilicet hunc Proceres (ſecum trahit omnia uirtus:)
Danica legitimè ſumere ſceptra iubent.

Nec piger æquoreas cum milite tranſijt undas,
Teq́; petit liquidis Hauffnia cincta uadis.
Vrbs & uicta nouo mox ſe ſubmittere Regi
Cogitur alternas & tolerare uices.
Optime Rex ſalue cuncto Friderice ſub æuo,
Te pietas, tua te candida fama uehet.
Hunc precor ô Muſæ diuino carmine dignum,
Quis neget & clarum promeruiſſe decus.
Qui nactus patrium diuino numine regnum,
Armauit nullas in ſtra bella manus.
Sæpius & ſummo rerum ſub turbine preſſus,
Regali tales edidit ore ſonos.
Rex meus, æternus magni moderator Olympi,
Non ego, pro regnis induet arma meis.
Quod mihi conceßit, quod ſi uolet, auferat, ipſo
Nouimus, hoc ſceptrum non prohibente, tuli.
Optima uox Regis, ſerisq́; notabilis annis,
Edidit hanc ſummo mens niſi nota polo.
Illi prima pium coniux pulcherrima natum,
Qui modo Rex geſtat Danica ſceptra, tulit:
Hæc de Marchiadum, claris uirtutibus, orta
Stemmate, fœmineum uexit honore decus:
Elyſijs illam quando mors addidit umbris,
Et peperit uiduo tædia longa thoro:
Altera ſucceßit Pomerano ſanguine coniux,
Laude Bogislai filia clara Ducis.
Hic quoq; dum cœpit puri lux aurea uerbi,
Obductum tenebris exeruiſſe caput.

Iuuit opus patrijs Rex ille pijßimus oris,
Hoſpitio profugum ſuſtinuitq́; Deum.
Fulſit ut horribili metuendus crine Cometes,
Terruit & populos mœſta Lubeca tuos.
Hinc curſu celerem poſtq̃ Sol egerat annum,
In patria moritur Rex Fridericus humo.
Auerſa reſidens cœli tum parte maligni,
Pax dederat tales uoce gemente ſonos :
Nunc cecidit mea cura : uale Rex optime regum,
Daniacis uigui te duce tuta plagis.
Aegraq́; concutiens pectus, lachrimasq́; fluentes,
Miſcebat mœſtis Balthica Thetys aquis.
Tum quoq́; de cœlo ſignum manifeſtius alto,
Prodigio mouit Danica regna nouo.
Ecce diu redolens conditum balſama corpus,
Quod triſti tumba compoſitumq́; fuit.
Sanguinis exangui fudit de corpore riuos,
Et largo roſeam ſanguine tinxit humum.
Nempe ſecuturas Regis poſt funera clades,
Signa tot inditijs præmonuêre ſuis :
Dania cui ſimilem nunq̃ tulit, attamen illi,
Quam proles ſimilis ſit, mea Muſa canet.

CHRISTIANVS III. FRIDERICI REGIS FILIVS, DANIAE, NORuagiæ, Gothorum & Sclauorum Rex, Dux Sleſuuitiæ, Holſatiæ, Stormariæ & Ditmarſiæ, Comes de Aldenburg & Delmenhorſt.

Qui nunc

Qui nunc anno Domini 1557. Regnum Daniæ, in uera Dei agnitione, & ſubditorum ſalute, glorioſe adminiſtrat.

Rex. XCIIII.

INclyte Rex Regum, quo non uel nomine maior,
Vel pacis ſtudio, uel pietate, fuit.
Cum longo ueteres diduximus ordine Reges,
Venimus ad clari nominis acta tui.
Dexter ades, uatiq; tuo, iuſtoq; labori.
Dum quoq; per laudes nitimur ire tuas.
Imperij quanq̃ moles te grandior urget,
Quælibet & curas detinet hora tuas:
Hæc quoq;, deuota quod ſi congeſta Thalia,
Non ſunt regales digna uidere manus:
Ipſe tamen cæpti Rex maxima cauſa laboris,
Huc placida uultus dirige mente tuos.
Aſpicies prima ductos ab origine Reges,
Balthica qui medijs ſceptra tuentur aquis.
Qui uelut Herculeo concludunt æquora clauo,
Qua coit anguſtis humida Thetys aquis.
Aſpicies patrias quantum prouexerit oras
Quilibet, & clades quæ fera bella tulit.
Inclyta quin etiam patriæ primordia gentis,
Aſpicies generis celſaq; facta tui:
Sedulus hæc religens, fallar, num forte putabis,
Carmina regales noſtra decere manus.
Siq; probas noſtras Regum Rex optime Muſas,
Hoc unum uotis inſuper addo meis:

Nos ſaltem minimo non dedignere fauore
Amplecti, curæ ſumma ſit iſta meæ:
Quanta ſit, & patrij uigeat uis ardua regni,
Dania quid meritis debeat alta tuis:
Omnia uenturis libuit tranſmittere ſeclis,
Si datur hæc Phœbi munere palma, ſat eſt.
Sed nunc unde tuas mea ducent carmina laudes?
Quoue tui ſtudio temporis acta canent?
Occidit ut genitor cano uenerabilis æuo,
Cui uirtus toto nomen in orbe tulit:
Ecce palatinus Rheni Fridericus ad undas,
Externa petijt Danica ſceptra manu.
Filia captiui quoniam pucherrima regis,
Eius eras ſtabilem nupta ſecuta thorum.
At regni Proceres obſtant, magnumq́; putabant
Hæredem regni deſeruiſſe ſcelus.
Interea, cui nunc magno præconia Regi
Pandimus, Holſaticos Dux moderatur agros:
Illi ſi patrijs tuto licuiſſet in oris
Viuere, nilq́; mali, Marte premente, pati,
Pacis hic extremum ſeruaſſet ad ultima munus,
Nec læſiſſet opes dira Lubeca tuas.
Ille laceßitus crudelia uenit ad arma,
Hoſtis in exitium, diraq́; fata ſui.
Ecce ruens (odium, ceu uis inimica peregit)
Illi quem patriæ iunxit origo, domus,
Bis duo Saxonicis educens millia terris,
Chriſtopherus ueteri fortis ab arce comes,

Nec de more ſuos mißis fecialibus hoſtes
Arripit, Holſaticos & populatur agros:
Hic neq; turritæ ſors inuidioſa Lubecæ
Pacatas potuit continuiſſe manus.
Impia ſed Comiti ſua iungens agmina, clades
Ciuibus acciuit, perniticmq; ſuis.
Vt ſoluêre graues (Nemeſis uidet omnia.) pœnas,
Conſilijs quorum tum fuit illa nocens:
Et miſerè lati perſuaſa cupidine regni,
Holſaticos ſæuo deſtruit igne lares.
Arx & Tritouium medijs circumdata ſyluis,
Et capitur tacita triſtis Othyna manu.
Te, quoq; Chriſtopherus ualidis Comes, Haffnia, (ſignis
Obtinuit iuſſu celſa Lubeca tuo:
Prædatusq́; tuos generoſa Selandia ciues,
Agricolæ uerſas ingemuêre caſas.
Ergo repulſurus crudeles milite uires,
Dux quoq́; de patrio colligit arma ſolo.
Teq; premit ſæuis, bello nimis addita, damnis,
Obſidet & portas mœſta Lubeca tuas:
Vos ó uos magnam geminis quæ fluctibus urbem
Cingitis, in lachrymas flumina nata graues.
Dicite quot fractis ſubmerſa cadauera ſignis,
Turpiter ad Stygios deuoluiſtis agros?
Tuq; uel in primis roſeis mœſtiſsima lymphis,
Et nimis infeſto preſſa Trauerna pede:
Dic ſuper iniectum quando plebs ciuica pontem
Nititur à dorſo præripuiſſe tuo,

Quot ſerus Holſaticus ſubmerſit corpora miles?
Vrbeq; quot ciues aſpiciente necat?
Ipſa ſed ô nimium bellis aßueta cruentis,
Vrbs poſthac placidas diſce tenere manus.
Scilicet iſtius tibi cauſa miſerrima damni,
Prima paras forti bella nefanda Duci.
Qui te, propitijs niſi pax gratißima Diuis,
Horriſonum Martis cum uetuißet opus:
Iure coegißet triſti ſuccumbere ſorte,
Diraq́; defeßa ponere bella manu.
Nunc tua compoſita cum plaudunt mœnia pace,
Solue preces ſuperis, uotaq́; iuſta Deis.
Intereà ſæuis comes Aldenburgius armis,
Afflixit ciues Dania mœſta tuos.
Illa diu rerum fleuit quaſſata ruina,
Et cum Rege ſuis uiribus orba fuit.
Dumq́; tot urbanas timuit, laceranda, cohortes,
Præcipue uires dira Lubeca tuas:
Ipſa Duci domitos qui iam compeſcuit hoſtes,
Dat ſua conſtanti ſceptra tenere fide.
Talibus & toto Procerum ſuadente ſenatu,
Alloquitur fortem milite preßa Ducem:
Accipe nunc noſtri Dux ô diademata regni,
Siq́; potes populos fac tueare tuos:
Ecce peregrinis premitur pia Dania ſignis,
A proauis nunq̃ terra relicta tuis:
Arripe quam tibi ius, quam ſanguis tradit auitus,
Et patrocinio tuta ſit illa tuo.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 69 [35,-56 8°]

Protinus electum ſuſcepit Iutia Regem,
  Et uires cupidas ſubſidiumq́; tulit.
Ille ſed impoſito curuatæ milite puppi,
  Arripuit celeres per freta uaſta uias.
Teq́; recollectis uaſtata Fionia ſignis,
  Liberat è duro Marte potente iugo.
Plangite nunc iterum, triſtes nunc plangite ciues,
  Plangite pugnaci turba perempta manu.
Sanguine tum quantas madefacta Fionia cædes,
  Vidit & obſcæno funera tecta luto.
Degener ô uulgus ſummis & inutile ſceptris,
  Iam ne uides belli debita fata tui?
Quid regnum? quid ſceptra ferox? quid bella capeſ-
  Iſta feres ſummo non niſi dante Deo. (ſis?
Has ubi ploranti crudeles pectore clades,
  Viderat immani fracta Lubeca metu:
Ingemit, & dextras miti coniungere pace,
  Armorum ſumptu deficiente, cupit.
Protinus & ſocios illo quibus Hauffnia bello,
  Captiui Regis nomine capta fuit,
Auocat, & pacta mandat decedere pace,
  Linquere militiæ ductaq́; ſigna ſuæ.
Dedere ſed nolunt hi forti mœnia Regi,
  Nec parent iuſsis alta Lubeca tuis.
Protinus Hauffniacas Rex cingit milite portas,
  Sæuus ab æquoreis bellaq́; duxit aquis.
Vrbs quanq̃ doluit, diuturno languida bello,
  Defectus rerum, difficilemq́; famem,

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 69 [35,-56 8°]

Attamen inſtanti ſua clauſit mœnia Regi,
Viribus infeſto uicta nec hoſte fuit:
Expugnata fame ſed ſupplex brachia tendit,
Et tandem merito ſubditur ægra iugo.
Dij quorum ualidæ nutu feliciter urbes,
Intactum tollunt celſa ſub aſtra caput.
Anne decet miſeras tali ſuccumbere ſorte?
Tantaq́; ſupremo damna pudore pati?
Quid non ſuſtinuit? quæ non crudelia uidit?
Hauffnia funeſta perdita pene fame:
Illa canes, felesq́; putres, pigrosq́; caballos,
Et comedit rapida multa pudenda gula,
At qualem uidit manifeſto numine ferri,
Cur renuit magni ſceptra ſubire Ducis.
Qui non ſanguineis regni diademata bellis,
Perq́; tulit multas ambitioſus opes.
Cuius ab æterno dependens libera cælo,
Mens facili dubias reſpuit arte uices:
Quem pietas, quem ſacra fides, quē maxima uirtus,
Noluit officium deſeruiſſe ſuum:
Sed medias inter turmas, & bella, tueri
Hunc uoluit iuſta regna paterna manu:
Quem licet incauti primo uis impia belli
Obruerit, patrios & lacerarit agros:
Sit prius à ſæuis poßeſſaq́; Dania ſignis,
Eius quam ductus miles in arma fuit:
Hunc tamen, è cœlo ſceptrum qui Regibus alto
Offert, auſpitijs iuuit ubiq́; bonis.

Eiectoq́;

Eiectoq; fero patrijs é finibus hoſte,
    Cœleſti meruit regia ſceptra manu.
Ergo Deo, diuine ſenex, ſanctißime Regum
    Auſpice, Daniaci ſceptra tuere ſoli.
Illo te dignum uirtus tua fecit honore
    Illo te dignum nouerat eſſe Deus.
Nec leuis improbitas, nec uis inimica malorum
    Euertit ſortis candida uela tuæ,
Felix, in dubio rerum quem turbine uirtus
    Seruat, & immenſi prouida cura poli.
At prius æquoreas uehemens ſitis ebibet undas,
    Et ſiccum nullas littus habebit aquas:
Ante tuas tuto puppis tranſiuerit arces,
    Sæuior & uetitum continuarit iter:
Nullaq; demißis tibi uectigalia uelis,
    Nec dederis uictas in tua iura manus:
Quam ueneranda meis Rex enarrare camænis,
    Virtutis poſſem munera larga tuæ.
Quidue canam primo? pietas te maxima cælo
    Inuehit inq; tuo pectore prima ſedet.
Hac duce tu patrias cœpiſti fortiter oras,
    Hac duce magnificè tradita ſceptra regis.
Eſt aliquid fauſtis regnum qui nobile Diuis
    Auguſtasq; bona ſorte tuetur opes.
Tu primum ā ſuperis tanti primordia regni
    Incipis, ô facti gloria quanta tui!
Vtq; Dei uigeat patrias ſincera per oras
    Agnitio, primi cura laboris erat.

Et procul, acceptis qui ſe uenalia nummis,
Iactabant ſummi tradere iura poli.
Ipſe ſalutiferi fruſtrà quæ munera uerbi,
Nos ſoluunt laqueo Styx uiolenta tuo,
Rite coli mandas, & nunc hoc munere felix
Exuperat multas Dania clara plagas.
Quæ, dum falſiloquas hæc gignunt tempora ſectas,
Præterit & metas mens reſoluta tuas.
Sacra Dei ſequitur Sincero dagmata ſenſu,
Nec quæ alibi regnant ſchiſmata uana probat.
Scilicet illa tuis debetur gratia factis,
Rex unq̃ meritis uix habiture parem.
Nam tibi quod ſtudium, ſacræ quæ cura ſalutis,
Et tua quo fidei lumine corda nitent.
Declaras uarijs Rex ô digniſſime factis,
Et tua non certo munera teſte carent:
Te quod uerus amor diuini numinis urget,
Et tua quod cœli pectora tangit honos:
Magna tot excuſis teſtatur Dania libris,
Qui monſtrant ueri, facta fidemq; Dei.
Edita regali teſtantur biblia ſumptu,
Biblia diuinæ mentis, & artis opus:
His ſine Chriſtiadum, puerilis nænia, cætus
De ſummo poterit quid retuliſſe Deo?
His ſine, Dij melius, mirandis credere factis,
Non poterunt denſo corda ſepulta ſitu:
Quæ cum Daniaco conuerſa idiomate, cultis
Tradere mandaſti Rex generoſa typis.

Demonſtras

Demonſtras quali ſuperos ueneraris amore,
    Quamq́; ſalus populi ſit tibi cura tui.
His te quid rutulis dignum conatibus aſtris,
    Inq́; feram populos tot benefacta tuos?
Ergo quod in cunctis extant ſacra biblia templis,
    Quà tua latiuago limite regna patent:
Ergo quod egregiæ matres, caſtæq́; puellæ,
    Et Proceres mixta nunc ea plebe legunt:
Gratia magnorum tibi laus celeberrima Regum,
    Tu decoras tantis patria rura bonis:
Rura bonis decoras, magni quibus orbita mundi
    Cedit, & ad nullas iſta reponit opes.
Hæc tibi non fragili pietas Rex indita ſorte,
    Iudicio ſuperis te facit eſſe parem.
Vt quoq́; perpetuis creſcens eccleſia riuis,
    In populos paſſim largus ut amnis eat,
Tu fomenta pio præſtas & ſemina ludo,
    Hauffnia Pierias qui colit alta Deas:
Afflictæ nuper miſera quæ ſorte, uolebant
    Linquere Daniacæ ſubdita regna plagæ:
At tu Theſpiaras regal munere Diuas,
    Et reuocas lapſæ ſpemq́; decusq́; Scholæ.
Et ne doctiloquas iam ſolum Thracia Muſas
    Iactet hyantæos incoluiſſe lares.
Illas Menalio non inferiora ſub axe,
    Tuta ſinis poſito regna tenere metu.
O decus, & patrij meritiſſima gloria ſceptri,
    O dextro populis Sydere nate tuis.

Quis tua mortali ſuperet præconia lingua?
Quisue canet titulis nomina digna tuis?
Auguſto cunctas claudis qui pectore dotes,
Quæ deceant homines, quæ deceantq; Deos.
Qui dum diuinos colis indeſeſſus honores,
Adſeris & ſummi ſacra, fidemq; Dei.
Hoc Europæis (liuor licet audiat) oris,
Nomine, præ reliquis ſceptra beata tenes.
Et reliquos ſuperas quamuis ingentia Reges
Regna ferant, uarijs & meliora bonis.
Nec tamen eſt patrij minuenda potentia regni,
Tu quoq; de ſuperis optima rura tenes.
Vt taceam quantis repleant ingentibus orbem
Mercibus, imperio ſubdita regna tuo.
Te Nereus gelidis, te Thetys adorat in undis,
Paret & obſequio turba marina tuo.
Imperat occiduo tua magna potentia ponto,
In maris Eoas & dominatur aquas.
Vtraq; ſi uaſto tu claudes æquora clauo,
Fracta cadit medijs ars tua Tiphi uadis.
Dicite cui ſimili ſit tanta potentia Regi?
Dicite cui gemini uis ea magna ſali?
Qua ſonat immenſis & fluctibus Amphitritæ
Terrenum ſtabili circumit arte globum:
Non ita ueliferas natura coercuit undas,
Iniecitq; truci uincula uaſta mari.
Hic ſed Neptunus uiolento carcere uinctus
Procidit ante pedes Dania magna tuos.

His tu præ reliquis Rex florentiſſime donis.
    Dignus es & Pylios æquiparare dies.
Munere qui diuûm rectis rationibus uti,
    Contempta faſtu luxuriaq; potes.
Te pietas ſuperis æquat, pietate mereris,
    Primum mortales inter habere decus,
Dijs tua quam faciles generoſa modeſtia mores
    Imbibit, afflictis quàm leue numen ades.
Vidimus ardenti te ſæpe ſedere ſub æſtu,
    Et regni populis reddere iura tui.
Vidimus aſtantes miſeros, lachrymisq; profuſis
    De ui, ſi ue dolo, perfidiaue queri:
Et tua ſupplicibus poſcentes numina uotis,
    Et niſi nil uultus ſollicitare tuos:
Quos diuina tuæ nunq̃ clementia mentis
    Reſpuit, aut cupida non releuauit ope:
Omnes ſed placidis uerbis ſolata, recepit,
    Se fore, qua poſſit uindice, nemo premi.
Hac uirtute Deo ſimilis, iuſtiſſime Regum,
    Viue decus regni, gloria uiue tui.
Vtq; tuæ ſtudium menti pietatis inhæret,
    Vt ſacra ciuilis numina iuris amas:
Vt tua terrenos excedit gloria fines,
    Excelſum cœlo ſed tibi quærit iter:
Sic tibi (ſed nullo pergat uiolando furore.)
    Hactenus æqua ſatis Lubrica diua fuit.
Et ne pacificos ſolum tua regna per annos
    Inſpiceres fœlix exeruiſſe caput:

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 69 [35,-56 8°]

Dij tibi tam meriti conſortia gaudia ſceptri,
Pignora feſtiui contribuêre thori:
Et tua Saxonicis illuſtris filia terris,
Te dudum claro germine fecit auum.
Coniuge ſeptemuir magna qua gaudet, & armis
A te bellipotens Dania robur habet:
Se quoq; (tam fauſtæ leuis eſt nec gratia ſortis)
Regali iactat Miſnia pulcra thoro.
Tuq́; Megalburgæ non infima gloria terræ,
O & tam ſummo fœmina digna thoro.
Viue precor magni ſoror optatiſsima Regis,
Et patrium claro germine tolle genus.
Teq́; precor matrem fœcundis reddat in annis,
Natus Vdalrici, curaq́; ſumma Ducis.
Altera Pruſsiacis quam mors conſumpſit in oris,
Humano poterit uix ſatis ore cani.
Inclyta quæ clarum uirtutis munere nomen,
Extulit & patrium quà fuit orta genus.
Mænalio certè qua fœmina nulla ſub axe,
Ingenio maior, uel pietate fuit.
At pia quæ patrijs tecum Rex creſcit in oris,
O proles regni maxima cura tui:
Dij faciant, uiuat canos illæſa per annos,
Creſcat & in laudes Dania magna tuas.

FRIDERICVS, CHRISTIA-
NI III. FILIVS, REX
Daniæ deſignatus.

Ardua laus patriæ, regni decus, inclyte Princeps,
Iamq́; potens annis, ô Friderice, tuis.
Te mox expectat uenerandum Dania Regem,
Teq́; fides populi, te tua ſceptra manent.
Tu forti patris ueſtigia mente ſecutus,
Degeneri nunq̃ pectore uiſus eris.
Cui belli genitor, pacis quoq́; tradidit artes,
Cui uia uirtutis nulla recluſa patet:
Et cui iuſtitiæ uires monſtrauit & æqui,
Exemplum rarâ cui pietate dedit.
Huius diuinas ſi fors imitabere laudes,
Obruet imperium nulla ruina tuum.

MAGNVS, CHRISTIANI III.
Filius, Rex Noruagiæ.

Tv quoq́; qui Magni regali nomine gaudes,
Diuorum Princeps munere magnus eris.
Te laus, & primis decus ingens tollit in armis,
Et ſpondet populis ſecla beata tuis.
Solertiq́; uiges iuuenili tempore mente,
Dij faciant, uideam te tua regna ſenem.
Nec uirtus, tenero nec flos cadat iſte ſub æuo,
Proferat ac fructus munera larga ſui.
Diceris & famæ cupidus, patienſq́; laborum,
Hæc neq́; me fallent omnia, magnus eris.
Magnus eris patriæq́; tuæ, magnoq́; parenti
Par, ſaltem longos dent tibi fata dies.
En tibi ſub gelido plaudit Noruuegia cœlo,
Et regi ſeruat patria ſceptra ſuo.

Ioannes

IOANNES, CHRISTIANI III. FILIVS.

TV quoq; magnanimi ſoboles altiſsima Regis,
Dania quo forti uindice tuta uiget.
Creſce diu, ſacrum tribuit cui gratia nomen,
Creſce decus, proauis famaq; digna tuis.
Te quoq; regalis cultu ſub ſimplice uirtus
Euehit, & ſtudijs mens decoranda pijs.
Te labor, & claris nomen memorabile factis,
Et laus perpetuo nomine digna manet.
Seu tu belligeri clarus Mauortis alumnus,
Aut cultor molli tempore pacis eris:
Omnia fauſta tuis en ſpondent ſydera ſceptris,
Concipe ſpem, ſummi ſunt grata ſigna poli.
Creſce ſed ó patris per laudes, ſcilicet inde
Eius ſolamen cana ſenecta feret.
At facis, incuruis nam poma micantia ramis,
Non procul á trunco proſiluêre ſuo.
Trux oculis, radijsq; micans, Iouis inclytus ales,
Non gignit uolucres, Cypria Diua, tuas.
Differt á dulci Philomelæ noctua cantu,
Ex diro Catulus noſcitur ungue leo.
Tu quoq; prælustri maiorum ſtirpe parentum
Edite, uirtutes, & pia facta coles.
Iamq; uiget de te ſplendor, iucundaq; uiſu
Gratia, quæ ſummis poßit ineſſe Deis.
Te placidi mores, ſignis & tollit amœnis
Frontis amabilitas, ſollicitusq; pudor.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 69 [35,-56 8°]

Quin & Pierias amplecti diceris artes,
Atq; puer Phœbi numina ſacra ſequi.
At tibi, ueridicum quanq̃ non pectore Phœbum,
Nec uires habeo, dia Sybilla, tuas:
Vaticinor, (lubeat tam fido credere uati,
Qui, niſi quod prodeſt, te monuiſſe, cupit.)
Quod ſi Theſpiacas, ô proles Regia, Muſas
Et pia uirtutis numina ritè coles:
Maiori nunquam tua tolles pectora ſorte,
Dos erit hæc regni nec peritura tui.
Poſt, ubi Pieridum donis, & laude nitebis,
AEqua cadet uotis terra poluſq; tuis.
Quin etiam cupidis ſe ſubdet Dania ſceptris,
Teq; ſuo liquidum ſydus in orbe colet.
Hac felix triplici Rex florentiſsime prole,
Quæ tibi pax meritis, ſit modò ſoſpes, erit:
Viue precor, tecum uiuat tua Regia coniux,
Fida comes, chari curaq; ſumma thori.
Hæc quoq; Saxonicam, quo uenit origine, ſtirpem,
Et Dux magne tuum nomen in aſtra uehit.
Hanc non Euadne, pia uel Trochinia coniux,
Vinceret aut caſtâ Laodamia fide.
Coniuge ſed tali, taliq; ſuperſtite prole,
Te, precor, æternum, Rex uenerande, frui.
Hæc tibi tranquillæ uirtus Solatia uitæ,
Non peperit caſus ſorsue Deusue leui.
Sed quid longa tuæ faciam præconia famæ,
Reſpondet laudi uita probata tuæ.

Cumq;

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 69 [35,-56 8°]

Cumq́; Deos meritis placas, terrenaq́; felix
Munia, cœleſti dexteritate ſubis:
Hic tibi per cunctas, Rex inuictiſsime, gentes,
Stabit in æternos nomen honosq́; dies.
Te dicent poſiti uario ſub Sydere uates,
Te polus Auſtralis, Mœnaliusq́; canet:
Cantabit tellus, te Saxa loquentur, & undæ,
Te dicet ſummi regia nota poli.

IOANNES, DVX HOLSAtiæ, Regis Daniæ Chriſtiani III. frater.

TE quoq́; quid referam, patrijs in finibus heros?
Otia qui preſſo dulcia Marte colis,
Inq́; canam uarias ſedato pectore dotes?
Et placidos uultus, innocuosq́; dies.
Te non ulla piæ rumpentem tempora pacis
Extimuit ſæuo Marte premenda quies.
Dumq́; Duces Clypeos, truculenti telaq́; belli,
Sectanturq́; fera uulnera facta manu:
Sæpeq́; dum proprias lacerant immaniter urbes,
Et perdunt ſumptu patria rura graui:
Tu patrios inter fines, carosq́; penates,
Iudicio laudas otia grata tuo.
Atq́; caues patriæ ſummis rationibus oræ,
Aduerſi ſæuo ne quid ab hoſte ferat.
Non illaudatæ te ſumma modeſtia uitæ,
Et decorat ſummo regula ducta gradu.

Sobrietas,

Sobrietas, patiensq; labor, uirtute miniſtra,
Ad ſolium uigilant, dux generoſe, tuum.
Nec ius, nec ſacræ cultura grauiſsima legis,
Hîc nec abeſt ſumma cum pietate fides.
Ter felix iſtis Princeps clariſsime donis,
Fallor, an hæc bello ſunt meliora fero:
Olim quæ propter ſummi te regia cœli
Tollet, & in patrio candida fama ſolo.
Ac aliquis dicet, Dux hic cùm uiueret, orbe
Dulcis in Holſatico pax ſine Marte fuit.
Felix, qui uiuus tantæ præconia laudis,
Et uirtutis amans nobile pectus habes.

ADOLPHVS, DVX HOLSAtiæ, Regis Daniæ Chriſtiani III. frater.

EVrialum forma, magnum qui fortiter æquas
Aeaciden animis, Hyrtacidenq; fide.
Ecquid ab Aonio noua poſcam numina luco?
Si famæ dicam carmina digna tuæ.
Te uigor ingenij, te ſuauis gratia frontis,
Tollit & excellens ore decente decor.
Prompta manus celeresq; pedes, pectusq; uenuſtum,
Nullaq; ſub toto corpore menda latet.
Te Venus inſpiciat formam laudabit honeſtam,
Dicet & hic noſtro dignus amore foret:
Te Deus inſpiciat fulgentem belliger armis,
Dicet & hic noſtro munere dignus erat.

Has tibi concedunt geminas cum ſydera laudes,
Ardua ſed raræ præmia ſortis habes.
Et tua ſe uirtus primis pateſecit in annis,
Atq; diu nulla parte ſepulta fuit.
Dum procul externas laudemq́; decusq; per oras
Et quæris titulo nomina digna tuo.
Nec tua teſte caret, ſummo uel iudice uirtus,
Hanc bene cum nouit Teutonis ora probat.
Quin etiam ſumptis ſi Gallus an Italus armis,
Te magnos inter conſpicit ireu duces:
Mox inquit ueteri regnata Tuiſcone tellus,
Et non indecores protulit illa uiros.
Diuus in occiduis quoties & Carolus oris,
Virtuti tribuit præmia iuſta tuæ.
Teq́; Ducem legit, ſummis cui fœdere rebus
Audeat & proprias tradere tutus opes.
Talem cum patriæ tellus te norit & auſit
Iam quoq; te magnis annumerare uiris:
Spem fouet & de te ſummum ſibi ſpondet honorem,
Et talem merito iactat honore Ducem.
At tu ne patriæ recidat ſpes falſa, precamur
Vt uiuas Pylios fortis Adolphe dies,

FRIDERICVS, DVX HOLSATIAE
REGIS DANIAE CHRISTIANI III.
FRATER, EPISCOPVS SLES-
VVICENSIS, ET ELECTVS
ET CONFIRMATVS
HILDESEMENSIS.

SIccine crudeles mea ſpernitis irrita Parcæ
Vota, tot & fuſas corde petente preces?
Dum ſacer Antiſtes tibi debita carmina condo
Occidis, & de te nil niſi fama manet.
Occidis, at medijs (dolor intolerabilis) annis,
Præcipue quando uiuere dignus eras.
Te luget patrias genetrix longæua per oras,
Te fratres & te luget amica ſoror.
Te luget patrijs urbs Hildeshemia terris,
Rurſus & amiſſo præſule mœſta gemit.
Vix cum ſubiectas cœpiſti, deſeris oras,
Heu cita mors Stygio digna perire lacu.
Cui non ingenium, nec uirtus defuit ingens,
Et quem belligeræ iuuit origo domus.
Publica iam gratis potuit qui commoda curis
Qualibet & patrias parte iuuare plagas:
Nunc iacet ante diem uiridi conſumptus in æuo,
Quem citó ꝙ perdis mors grauis, anne pudet?
Sed quoq; tempus erit, cùm tu quæ ſingula perdis,
AEternum robur non habitura, cades.

FINIS
LIBRI TERTII.

LIBER

DE ORIGINE ET REBVS GESTIS REGVM DANIAE, ET Ducum Holſatiæ, Comitumq́ Schouuenburgenſium

LIBER QVARTVS.

ADOLPHVS DE SALINGSLEVEN PRIMVS COMES SCHO-VVENBVRGIVS.

RVrſus ades Clio dubij Dux inclyta uatis,
En iterum ſolitæ poſcimus artis opem.
Huius & euoluam ueteris primordia ſtirpis,
Claraq́; pieria nomina uoce feret.
Suggere præteritos nobis Dea temporis annos,
Suggere cultorem quæ latuêre tuum.
Non minus & claro meruerunt carmine dici,
Egregij Comites, egregijq; Duces.
Quorum ſi priſcos mecum ſcrutaberis annos,
Factaq́; non dubiam quæ meruêre fidem.

Quorum

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 69 [35,-56 8°]

Quorum ſi ſacris lubet incunabula Muſis,
Dicere principium ſtirpis & unde ferant.
Hos quoq; non elego debebas carmine, uates,
Imbelli, dices, nec ceciniſſe pede.
Nam quib in priſco uiguerunt laudibus æuo,
Quamq; leuant meritis tempora noſtra ſuis:
Vix poterint ullæ, ceu fas, ceciniſſe Camænæ,
Sufficeret Clarij nec ſonus ipſe Dei.
Attamen aggrediar: longa uos nocte ſepulti,
Quotquot & in patria iam ſupereſtis humo:
Herôes ueniam noſtris conatibus æquam,
Et date difficili uela ſecunda rati.
Eſt ſita, bellipotens gelidum qua conſpicit axem
Saxo, montanis fertilis ora iugis:
Mons, alium celſo ſpectat qui uertice montem
Seruat Eremitæ ſacraq; templa pij.
Qui quondam degit ſolis Anthonius oris,
Pertulit & ſtygij uulnera mille Ducis.
Cuius in abruptis priſco radicibus æuo,
Condita ſunt patriæ tecta uetuſta meæ.
Belliger hic priſcis habitauit Bluctherus annis,
Reſtitit & ſignis Roma ſuperba tuis:
VVeſtphala Saxonicis præſtans ubi ſeparat aruis,
Et uehit immenſas amne Viſurgis aquas:
Et binos inter uaſto ruit impete montes,
Ingemit & curuis preſſus utrinq; iugis.
Non procul hinc alto ſplendens arx uertice, priſcas
Rinteliæ ueteris conſpicit urbis opes:

Hæc Schouuenburgum ueteri de nomine dicta,
    Magnanimos Comites, progenuitq́; Duces.
Hæc ego (tam priſcis ne deſit gloria factis)
    Nomen, & hos titulos cœperit unde, canam.
Actaq́; conabor priſcos ſignantia faſtos,
    Reddere carminibus teſtificata meis.
Francia clara tuæ Cunradus gloria gentis,
    Sceptriger imperij quando ſecundus erat:
Egerat illuſtrem Mindæ ſub mœnia cœtum,
    Traderet ut gnato regia ſceptra ſuo.
Hîc equiti primum, patriæ qui nomine gentis,
    De Salingsleuen ductus Adolphus erat,
Hos Comitis titulos, ſubiectaq́; tradidit arua,
    Eius poſteritas quæ modo clara tenet.
Tunc Mindæ (tenero nobis urbs cognita luſu.)
    Inclytus errantes Bruno tenebat oues.
Illius auſpicijs hoc ſummo Cæſare munus,
    Fortis & egregias cœpit Adolphus opes.
Militis hoc uirtus, & magnis dextera bellis,
    Rebus in arcanis promeruitq́; fides.
Ter decies ſalue, priſci laudabile ſecli
    Exemplum, & generis gloria prima tui.
Felix ô nimium claræ uirtutis alumne,
    Cultores nunquam deſerit illa ſuos.
Non in honore tuis peperit quæ præmia factis,
    Stirpis & euexit nobile ſtemma tuæ.
Aſpice ſub pedibus ſummi ſtellantia cœli
    Sydera, quæ dudum diue uetuſte premis:

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 69 [35,-56 8°]

Quam tua poſteritas claris celeberrima factis
Creuit, & immenſas Marte ſubegit opes,
Qua non emicuit tantæ uis indita ſtirpi?
Et qua non fama laudeq; nota fuit?
Illa Duces, magnosq; ſuo de germine Reges
Progenuit latis qui dominantur agris
Maxima qui non hæc, ueluti ſunt omnia, ducit,
Ingratus ſummis ſuſtinet eſſe Deis.
Felices nimium proaui, cariq; nepotes
Stemmate dum nunquam deficiente uigent.
Obſcuri ſemper Proaui, tectiq; nepotes,
Dum perdunt titulos prole cadente ſuos

ADOLPHVS SCHOVVENBVRGI, STORMARIAE ET HOLSATIAE COMES I.

FORſitan & primi ſoboles illuſtris Adolphi,
Nomine uirtutis, militiæq; fuit:
At ueluti multas res cælat inertior ætas,
Actaq; præclaro carmine digna tegit,
Sic eius perijt laus florentiſſima gnati,
Et nullum priſco tempore nomen habet.
Ordine ſed Comitem celebrat quem fama ſecundum,
Egregius primi dicitur eſſe nepos.
Dum perijt patrijs clarus Gotfridus in oris,
Stormariæ præſtans cui tulit arua Comes:
Felix innumeris tum Saxo Lotharius armis,
Quem Mauors fertur progenuiſſe pater:

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 69 [35,-56 8°]

Magnanimus Comiti tum claro Cæſar Adolpho,
Agros Holſatiæ, Stormariæq; dedit.
Dumq́; Boheme tuis Hertungus frater in oris
Concidit, & roſeam dente momordit humum:
Ille potens latis aruis, non ſegnis in arma,
Inq́; ruit clades Vandale dire tuas:
Et ciues Herulæ concidit fortiter urbis,
Quæ uetus ex Herulis nomen adepta refert:
Illa quidem perijt, longos ſed nomen in annos
Gens hinc inſano ſtrenua Marte, tulit.
Tum quoq; Cyßinæ deuicit mœnia Gentis,
Vernouius gelidis qua rigat acer aquis.
Hæc etiam perijt multis urbs nobilis annis,
I nunc & uitæ fata querare tuæ:
Scilicet & magnæ fatis cogentibus urbes
Accreſcunt, triſti deficiuntq; uice.

ADOLPHVS II.

Dicte mihi toties noſtris Comes inclyte Muſis,
Iam mihi dicaris, tempus & ordo uocat.
Salue ſancte Dei miles, tibi qualiam dicam
Carmina pro meritis non leuiora tuis?
Quem, Comes, è priſcis merito tibi Regibus æquem?
Siue tuis Latium, Græcia ſiue tuis.
Tu pietate Numam, ſuperas uirtute Camillum,
Nec tibi par poſita lege Lycurgus erit.
Qualia Priamides patrijs pro mœnibus Hector,
Regibus inflixit Græcia magna tuis:

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 69 [35,-56 8°]

Talia geſsiſti Chriſti pro nomine bella,
    Quà colit Arctoos Vandalus acer agros,
Qualis & ob patriæ decus, infractamq; ſalutem,
    Scipio Sidonio uictor ab hoſte redit:
Talis ab edomitis rediјt tua dextera bellis,
    Vandala turba tuis, Danica turba tuis.
Iam quoq; quod uerum nouit gens Vandala Chriſtũ,
    Improba blaſphemos deſeruitq; Deos:
Hoc pius effuſo feciſti ſanguine martyr,
    Sacrilego quando cæſus ab hoſte cadis.
At licet haud iſto quicq̃ tibi uixerit æuo,
    Par fama, meritis, relligione, fide.
Non tamen (at lucet per dira pericula Virtus)
    Hic tenuit placidas ſors uiolenta manus.
Ordine ſed tenui tua pandam carmine facta,
    Et tibi uicturum ſtabit in orbe decus.
Marchio qui forti tenuit cognomen ab urſo,
    Aſpera Saxonico dum mouet arma Duci:
Holſaticas etiam turbauit milite terras,
    Et Comitem patrijs depulit enſe plagis:
Ergo procul proprijs fidei ſeruantior oris,
    Imperio cæcæ ceſsit & ille Deæ.
Et Comes Henricus non iuſto nomine, terras
    Holſaticas, urſo contribuente, tulit.
Aſt hoc bellipotens anno quo fugit, Adolphus,
    Felici patriam Marte recepit humum:
Deſperansq; ſuis fera propugnacula rebus,
    Impoſitus nuper deſtruit igne Comes.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 69 [35,-56 8°]

Diruta tum fractis Segebergi mœnia tectis,
Nobile conſtructum Cæſaris arſit opus:
Arſit & Hamburgæ uix expugnabilis urbis
Arx, quam cæruleis Alſtria ſtrinxit aquis.
Sic ubi natiuas generoſus Adolphus habenas,
Et recipit ualida rura paterna manu:
Rurſus inacceſſo Segebergi mœnia uallo
Cinxit, & hoſtiles depulit inde metus.
Quin etiam maius quod poſtera ſuſpicit ætas,
Hic urbis primum nobile ſtruxit opus:
Et medias inter ſpatijs diſtantibus undas,
Te poſuit medio celſa Lubeca loco.
Grate Comes ſuperis, tantæ celeberrimus urbis
Auctor, quæ fama ſydera ſumma ferit.
Hic etiam patrijs Sclauos eiecit ab agris.
Germanisq́; dedit rura paterna uiris.
Aſpera Vandalico molitus bella Nicloto,
Imperij cætu quando iubente, fuit.
Vandalus heu VVagricas furibundo milite terras,
Exuritq́; tuas mœſta Lubeca rates.
Penè ſed inuitus contra tulit arma Niclotum,
Illi nam pacto fœdere iunctus erat.
Attriuit proprias pugnax cum Dania uires,
Tresq́; feri Reges mutua bella gerunt:
Tum Comes inſignem tutatus Marte Canutum,
Aſciuit patriæ multa pericla ſuæ.
Nam Sueno diras dum colligit impiger iras,
Inq́; ruit VVagricos more leonis agros.

In flam-

In flammas iuit, ueteri quæ nomen ab arce
　Vrbs tenet, infeſto ſtructa miſella ſolo.
Multaq́; præterea uiolentis obruta ſignis,
　Oppida difficiles ſuſtinuere metus.
At Comes exitio patrias ut ſubtrahat urbes,
　Eidori ad uitreas agmina duxit aquas:
Suenonis uires & fregit Marte potentis,
　Victor ouans patrios & repetiuit agros.
Hic quoq; Circipanûm, Cyßinaq́; contulit arma,
　Hos populos ſummo ſubdit & ille Deo.
Heu dolor infeſtum dum fulminat ante Demynum,
　Et longa Sclauos obſidione premit:
Concidit hic heros gentilibus obrutus armis,
　Et patrios triſti funere turbat agros.
Hunc ſocij triſtes nigræ ſub tempore noctis,
　Et flerunt roſeum luce ferente diem.
Aßiduis lachrimis hoc Schouuenburgia tellus,
　Et luxit patriæ fertilis ora meæ.
Hunc Leö magnanimus luxit, mœſtumq́; cadauer,
　Mœnibus induxit Minda uenuſta tuis.
Nunc ubi compoſitum tranquilla pace quieſcit.
　Donec erunt iuſtis præmia, pœna malis.
Felix qui Chriſto potuit conſorte iuuari,
　Dum canit ob ſacri nomina trina Dei.

ADOLPHVS III.

NEC minor hic meritis, & clara laude parenti,
　Victrici domuit plurima bella manu.

At ueluti

At ueluti uariam rotat infidiſſima ſortem,
Stare diu firmo neſcia diua gradu:
Sic quoq; nunc illum flatu fouet uſq; ſereno,
Nunc leuis inſtabiles concitat aura Notos.
Vix egreſſus erat teneros lanuginis annos,
Eius dum rapitur celſa Lubeca manu.
Triſtia Saxonico nectentes bella Leoni,
Dum multi Comites, & coiëre Duces:
Ille Ducis uires, & fortia caſtra ſecutus,
Pars ærumnoſi fida Leonis erat.
Fauſtaq; VVeſtphalicis edebat prælia campis,
Captiuis nexit uinclaq; multa uiris.
Rara ſed ab meritis accreſcit gratia factis,
Et uirtus odijs obuia ſæpe iacet:
Vt nil promereas, te uis, confictaq; lædunt
Crimina, triſtitia conficiumq; graui.
Quem Comitis genitor, quem filius ipſe Leonem
Defendit, crebris adſeruitq; malis.
Hoc nunc Holſaticis (in lignum) pulſus ab agris,
Schouuenburgiacos triſtis adiuit agros.
Dij tibi dent meritas delator peſſime pœnas,
Quo Leo perſuaſus cogitur eſſe nocens.
At Comes, imperij decus, & tutela cadentis,
Auxilium poſcit Rex Friderice tuum:
Protinus Holſaticas rurſum de Cæſare terras,
Proq; ſuis meritis cætera dona tulit:
Scilet Hamburga medium uectigal in urbe,
Quod pendunt agiles amne fluente molæ:
Arx iacet

Arx iacet, Albiacos & montis uertice fluctus
   Conſpicit, & nomen grande Leonis habet.
Hanc quoq; deuaſtat uiolento milite, quando
   Illius afflixit Dux Berenhardus opes.
Occupat irriguis & te Ditmarſia campis,
   Teq; premit merito terra doloſa iugo.
Hic etiam Culicum de nomine condidit arcem,
   Excipit æquoreas quà Trauenunda rates.
Vna dum Solymas cum Cæſare tendit ad urbes,
   Holſaticos iterum Dux Leo cæpit agros.
Eius fama leues quæ poſtq̃ perculit aures,
   Ad patriam forti pectore cœpit iter.
Inſtructusq; tuis præſtans Otho Marchio ſignis,
   Impugnat ualidas Marte Leonis opes.
Tectaq; ueliferæ circundedit alta Lubecæ,
   Obſtruxitq; tuum mœſta Trauena uadum.
Compulit obſeſſos, defenſaq; mœnia, ciues
   Tradere, uictrices & tolerare manus.
Vrbs iacet Albiacis ſtadium conterminа ripis,
   Sæpius hîc Mauors conſtitit enſe pater:
Illius hæc etiam latis parebat habenis,
   Et Comes armorum iure Stadenſis erat.
Ah miſer inſigni dum fecit bella Canuto,
   Qui tenuit fauſta Danica rura manu:
Cum belli ſocio deluſus, & ultima paßus,
   Indoluit triſti non bona ſigna die.
Hunc quoq; conſueto deiecit fulmine, Præſul,
   Qui tum magna tuas Brema tenebat opes.

Dirimit

Dirimit has lites Cæſar, pacemq́; coactus
    Intempeſtiuus poſcere Præſul, erat.
Bella Palæſtinis felicia geßit in oris,
    Qua iacet accliui parua Sarepta loco:
Atq́; Saracenos domuit, ſtrauitq́; potentem,
    Quia ſua militiæ ſigna dedere, Ducem.
Hîc ô conſilium ſi cætera turba ſecuta,
    Quod pulchra dederat dexteritate, foret:
Mœnia periuri gemerent deiecta Thorutti,
    Montis inacceſſa quæ iacuêre uia.
Felix ô nimium, caniſq́; quietus in annis,
    Aſpera ni Danis bella tuliſſet, erat.
Nam nimis infeſti Mauortia ſigna Canuti,
    Eidori ad uitrios pertulit ille lacus.
Reinoldi quando ueterem Comes extruit arcem,
    Terruit & forti Danica rura globo.
Dux ubi Sleſuuitiæ patrijs progreſſus ab agris,
    Eius Valdomarus cædibus angit humum,
Vincitur & cedit ſignis maioribus impar,
    Iſtaq́; non fauſta prælia cœpit aue.
Eius Valdomarus tunc rura ſubegit, & urbes,
    Fugit & Holſatico triſtis Adolpus agro.
Captus & Hamburga uinclis conſtringitur urbe,
    Effugium miſero dum uia nulla dedit.
Arx tum de forti cognomine dicta Leone,
    Eius adhuc fido milite tuta fuit.
Hanc ſed Valdomarus poſitis ſibi poſtulat armis
    Tradi, ſi patriam liber adire uelit:

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 69 [35,-56 8°]

Noluit at ſæuis arcem concedere Danis,
Turba parum Domino gratificata ſuo:
Ergo per proprias captiuus ducitur urbes,
Et ſors iniectum carcere dira premit.
Nec prius à ſæuis licuit decedere uinclis,
Tradita quam Danis arx animoſa fuit.
Mox triſtem Comitem pia Schouuenburgia tellus
Accipit, Holſatico cedit & ille ſolo.
Hîc illi triſtis, ſemoto crimine, belli,
Dulcior occluſit lumina feſſa quies,
Infelix, uiridis nullo quem Marte iuuenta,
Fregit at innumeris curua ſenecta malis.
Ardua qui geßit trino ſub Cæſare bella,
Imperij ſummos demeruitq; Duces,
Nunc heu difficilis depreſſus crimine ſortis,
Vincla tulit forti, qua tulit arma, manu.
Ille ſed à cœli caros nunc arce nepotes
Aſpicit, & uotis, quod uoluêre probat,

ADOLPHVS IIII.

MAgne puer patriæ magnos pariture triũphos
Quid te, quidúe tui nominis acta canam?
Bellica cui Pallas, naſcenti Iunoq; uires,
Immenſum Charites & tribuêre decus.
Cui Mars, creſce mei, dixit, noua gloria regni,
Omnia tu noſtro munere magnus eris.
Magnus eris dixit: læto mox incipit ore,
Holſatici Genius qui colit arua ſoli.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 69 [35,-56 8°]

Creſce precor patriæ decus, & ſpes unica terræ,
Quam premit impoſito Dania magna iugo.
Te duce libertas, oppreſſaq; iura redibunt,
Et ſuus Holſatiæ te duce ſtabit honos.
Victaq; perſoluet triſtes gens Danica pœnas,
Imperio quæ nunc uiſcera noſtra premit.
Dixit, & æratis Nemeſis grandæua tabellis
Verba notat certa non caritura fide.
Iam ſub Daniacis tellus mœſtiſsima ſceptris
Holſatiæ, triſtes fleuerat ire dies:
Et Comes à patrijs longè qui ceſſerat oris,
Nunc alia placida pace quieuit humo:
Ortus ab Heſsiacis quà montibus amne Viſurgis
Irrigat armigerum uerſicolore ſolum,
Tæduit Holſaticos ſortis, fruſtráq; petebant,
Iam Comitem, patrios ut tueatur agros,
Ille negat, Dano iurataq; numina Regi,
Tempus & illæſam ſeruat in omne fidem.
Cum ſubitò patrijs illuſtris fœmina terris,
(Nomine quæ fuerit, fama uetuſta ſilet)
Dieſthenſem claro retulit ſed ſanguine ſtirpem,
Nouimus: in patria ſtirps uiget illa mea.
Holſatiæ feſsos quæ commiſerata labores,
Ad Comitem fauſtum fœmina cæpit iter:
Talibus & mulier, cunctis mirantibus, orſa,
(Mouiſset lapides ſi loquerentur) ait.
O Comes, ô patriæ defenſor maxime terræ,
Dum tua bellipotens induit arma manus.

Nunc quoniam pacem pro fortibus eligis armis,
Et procul Holſatico degis Adolphe ſolo:
Debita iure tibi tellus generiq; tuorum,
Inſignes olim progenitura Duces:
Quam chari proaui generoſo ſanguine fuſo,
Audaci nunq̃ deſeruêre manu:
Quæ tibi præcipuè tantorum cauſa malorum,
Per uarios caſus, bellaq; mille fuit.
Nunc ô degenerem gemebundo pectore ſortem,
Luget & indigni triſtia frena iugi.
Et petit amiſſam te uindice mœſta ſalutem,
Quam penitus, ſi non eſt habitura, cadet.
Quare age, ſi uel adhuc quicq̃ uirtutis auitæ,
Seu priſcæ in magno pectore laudis habes:
Suſcipe pro patrijs bellum Comes inclyte terris,
Sit ſcelus has miſero ſuccubuiſſe iugo.
Inclyta te certè uenturis gloria ſeclis,
Dignus & æterna laude manebit honos.
Si te nulla mouet, tot pertæſusq; laborum,
Gloria, ſi fama iam ſuper aſtra uolas:
Quæuis Holſaticas natis precor inuidet arces?
Anne decent prolem debita ſceptra tuam?
Ille tui generis cuncto flos excidet æuo?
Nec patris titulos, amplaq; rura feret?
Sunt tibi, ſintq; precor generoſo pectore nati,
Hos ſine, deſertos ut tueantur agros.
Si te ſacra fides, ſi te reuerentia iuris,
Denegat audaci caſtra ſubire manu.

Vnus ab his ſaltem, patriæ ſpes maxima terræ,
O Comes Holſaticos me comitetur agros.
Eſt neq; quod dubites, ſumptis quin uincat in armis,
Holſatiæ, triſti ſubdita terra iugo.
Flos ueterum, uirtusq; uirum, delecta iuuentus,
Quæ uictrix ualido ſemper ab hoſte fuit.
Holſaticis reſtat, ſaltem caput adſit, in oris,
Adſit, & ô alacres in fera bella ruent.
Sanguine Daniaco pro libertate madebit
Patria Martigenis terra referta uiris.
Dixerat & Comitem dicendo fœmina flexit,
Votaq; Gradiuum flexit in apta patrem.
Venit & Holſaticas imberbis Adolphus in oras,
Libertas preßi præßidiumq; ſoli.
Cum ſubito Proceres cumulum glomerantur in unũ,
Et Danis cædes damnaq; dira ſtruunt.
Et leges patrias, natiuaq; iura repoſcunt,
Impoſitæ abijciunt diraq; frena manus.
Dumq; petunt omnes. Præfectus Danicus inquit,
Dicite quo ueſtro ſunt rata iura libro?
Mox quidam reliquis nudato fortior enſe,
Intulit hæc multis uerba ſeuera minis.
Aſpicis en: ſtrictis quod ius expoſcimus armis,
Enſis id á manibus mox feret ille tuis.
Sic ait, & ſæuo fugientem uerberat ictu,
Letheos tranſit triſtior ille lacus.
Illi ſed firmis ſua cingunt oppida uallis,
Et patrio eijciunt Danica ſigna ſolo

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 69 [35,-56 8°]

Piſcifer intumuit cum Stora paluſtribus undis,
Perdidit & uires Danica turba tuas.
Ac ubi Valdomarus patrijs Rex captus in oris,
Ad fines trahitur Saxonis ora tuos:
Impiger inſurgens armis, belloq; ſecundo,
Obtinuit patrios uictor Adolphus agros.
Liber ut immenſis Rex formidabilis armis,
Holſatiam rurſus quaſſat, & urget humum:
Hunc ubi Bornhouias quaſſat maris impetus oras
Horribili preßit, perdomuitq; fuga
O melior ſalue, multis lux alma triumphis
Patria qua cæſis hoſtibus ora mades:
Hac data libertas uiolentis preſſa ſub armis,
Hac redijt priſcum (Dij uoluere) decus.
Hinc Comes algenti uicinos Liuonas Arcto,
Coniûge dilecta concomitatus adit.
Hic quoq; gentili maduit ſua dextra cruore,
Proq; tulit ſummo triſtia bella Deo.
Cum ſatis in toto bellis uictricibus orbe
Claruit, & patriæ robur opemq; tulit.
Illicet humanos quæ turbant omnia ſenſus,
Arma, preces, pompas, prælia, ſceptra, minas.
Sepoſuit uotiq; memor, uitæq; caducæ,
Ad cœlum magno pectore carpit iter.
Et ſordes oblita ſuas, commiſſaq; uitæ
Crimina, mens ſummo fixa tonante fuit.
Nil mortale tuens, & opes, tituloſq; parentum
Reſpuit, & quicquid pectora cæca grauat.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 69 [35,-56 8°]

Summaq́; depreſsis affectibus æthera ſpectans,
Se ſtudio iunxit proximiore Deo.
Clauſtra Comes ſequitur fortis, ſociosq́; minores
Protinus Hamburga lætus in urbe petit.
Belliger Auſoniam ſtudio pietatis ad urbem,
Inde pedes magnus ſuſtinet ire Comes.
Hîc ubi detexit traductæ ſingula uitæ
Crimina, funeſtum grandeq́; Martis opus:
Illius effuſo quoties conſperſa cruore
Dextra, laceſsitus cum tulit arma, fuit.
Subq́; Lycaonio quod funera ſtrauerit axe,
Forti Dæmonicos dum quatit enſe Deos.
Quæ, uenia dignus, fuerat cum ſingula faſsus,
Ad patrios rediјt ſupplice mente lares.
Iamq́; ſacro dignus Comes ordine, myſtica ſacræ
Munera deuotè relligionis obit.
Hactenus & uibrans rigidos immaniter enſes,
Horribiliq́; ferens uulnera mille manu:
Et qui uectus equo ueſana cucurrit ad arma,
Tympana cum ſolitum pulſa dedere ſonum,
Pro gladiјs tulit ille libros, tenuemq́; cucullam.
Et Comes accedit templa beata pedes.
Ferre preces ſuperis, & caſto corde litari,
Hoc opus, hic illi nocte dieq́; labor.
Cænobiumq́; ſui ſtruxit, pius, ordinis, aptum
Vrbs ubi de Cunei nomine nomen habet.
Sacraq́; flagranti iuuit conamina mente,
Mendici miles, dignaq́; fama chori.

Huc

Huc poſuit moriens peritura cadauera, quando
Spiritus Elyſios liber adibat agros.

IOANNES ET GERHARDVS FRATRES. V. ET VI.

VRbs ubi candenti generoſa Luteria tecto,
Iura tui ſeruat Gallia culta ſoli:
Sequana flexilibus quam ſtringit piſciſer undis,
Fluctibus & celſum diuidit urbis opus:
Hîc iuuenes cultis hauſerunt moribus artes,
Quando domi genitor fortis in arma ruit.
Danica ſed Comites tellus operoſa reuerſos,
Vulſit Apollineo Martis ad arma choro.
Quàq; Todislouij nemoriſis abdita Syluis,
Pene ſub Holſatiæ limite, tecta iacent.
Huc pulſi, ſæuis coguntur cedere ſignis,
Quæ de Daniacis duxit Ericus agris.
Hi primum (certis placuit ſententia cauſsis)
Partiti patrij pinguia rura ſoli,
VVagria Vandalicis olim populoſa Colonis
Diues agri, pecorum, piſceq; terra ferax.
Ceßit Ioanni: ſed iniqua ſorte Gerhardus
Holſatiam frater, Stormariamq; tulit.
Ergo ſuo uoluit bello concurrere fratri,
Diraq; crudeli prælia mente fouet.
At ſine uulnifico ceßit contentio ferro,
Vicit & armigenam pax opulenta Deum.
Bellaq; concordes, Regi uiolenter Erico,
(Ille ſuis fecit fratribus arma) parant.

Et tutus Comitum graſſante ſororius hoſte,
Daniacos tenuit dirus Abelus agros.
Hinc ſe coniugijs Comites illuſtribus auget,
Et ſe regali tollit uterq; thoro:
Saxonicos thalamos ſenior claramq; ſecutus
Progeniem niuei quam decus auget equi:
Principis Alberti gnatam tulit, inq; Leonis
Arce nouus ſocero redditur ille gener:
Sed quem de ueteri prognatum ſtemmate Regum
Ardua Bucephali tollit in aſtra caput.
Clarus Ioannes gnatam cum dote Gerhardo,
Læticia princeps conueniente dedit:
E quibus illuſtris creuit ſtirps, altaq; Regum,
Fœdera coniugij conſequiturq; Ducum.
Triſtia Valdomaro Ioannes uincula ſoluit,
Præſul Agrippina captus hic urbe fuit.
Huic quoq; multigenos inter diſcordia ciues,
Varchneſi ripas qui coluere, fuit.
Hic captus tacito fugiens ſed mœnia greſſu,
In patrias arces, & loca tuta uenit.
Iuuit ut eximium caro cum fratre nepotem,
Qui tum Sleſuuitios cœpit Ericus agros.
Non tulit Holſaticas fugiens Rex agmine uires
Chriſtopherus, quanquam fortis in arma fuit.
Cogitur at, (cœpti ſemper grauis alea belli)
Triſtia cum caro coniuge uincla ſequi,
At Comes antiquæ memor implacabilis iræ,
Indomiti ciuis clara Lubeca tui.

In tua graſſatus uiolento prædia ferro,
Igne ſuburbanas deijciebat opes.
Mox illi Lacheſis fatalia licia ſoluens.
Miles adit ſuperi lucida tecta poli:
Struxit auus cultas pigris ubi fratribus ædes,
Et Reniueldenſes iuſsit adire Lares:
Hic primus Comitum tumulo iacet, illius orbem
Implet in æternum neſcia fama mori.
Sed quas Itzouias frater pius extruit ædes,
Vexit & in patrium Sacra Deosq; ſolum.
Inclytus hic recubat ſublatus morte Gerhardus,
Et pia ſe magno funere tollit humus:

DE COMITIBVS VVAGRIAE.

IOANNES I.

HIC ubi Germanas Nereus pater humidus oras
Separat à ſceptris Dania magna tuis:
Cymbria qua medio tenuis circumflua Ponto,
Inſula fertilibus tota ſcateſcit agris.
Eminet Eois tellus ſublimis ab undis,
VVagria quæ uæteri nomine dicta fuit.
Impiger hic priſcis habitauit Vandalus annis,
Irruit inq; tuos Saxo cruentus agros.
Quo procul eiecto, nunc illam Teutona tellus
Incolit, & bellis adſerit eſſe ſuam.
Hæc à cærulei decedens margine ponti,
Vsq; Trauena tuis quà ſpaciaris aquis,
Cum paruo hoc tractu ueterem complectitur urbem,
Vrbibus his olim gloria ſumma fuit.

Hic quoq; pontiuagis ſtatio gratiſsima nautis,
Quod ſis ſtructa recens, urbs noua dicta iaces.
Aſt ubi Saxonicos paulum proſpectat in agros,
Atq; Todislouij mœnia nigra uidet:
Hic arx quæ patrio Segebergum nomine fertur,
Et iacet antiquo nomine dicta Plona.
Has oras præſtans, & VVagria continet urbes,
VVagria quæ cultis meſsibus ampla patet.
Diſtinxere ſuas certo cum limite terras,
Iam mea quos Comites Calliopæa canit:
Hanc qui præcipua uexêre ſub æthera laude,
Et bello partos adſeruere Lares:
Qui uolet è noſtris intelligat ordine Muſis,
Et mecum priſci temporis acta ſciet.
Primus hic à magno VVagrienſia ſceptra parente
Defendenda ſuo Marte, fideq; tulit.
Nec minor hic proauis, ſe claris extulit auſis,
Illius & ceſsit regia nupta thoro.
Filia magnanimi fuit hæc illuſtris Erici,
Qui maris Arctoas iure coercet aquas.
Nec minus & frater præclaro ſanguine ſponſam,
E Pomeranorum cœpit Adolphus humo:
Huius erat genitor Dux Miſtiuoius, agros
Imperio Rexit qui Pomerane tuos.
Fœdera coniugij non inferiora ſecuta,
Eius multiplici dote Venuſta ſoror:
Hæc tibi piſcoſis felix Otho Marchio terris
Nupſit, & inſigni floruit aucta uiro.

Et Comes

Et Comes hic plures ex uno ſanguine fratres,
Namq́; parens longe uixit uterq́;, tulit.
Ex quibus heu mœſta dicendus uoce ſecundus
Ioannes patrio nomine dictus, erit.

IOANNES SECVNDVS.

II.

EIdori refluos transgreßus milite fluctus,
Triſtia pro claro bella nepote tulit.
Eius & infauſtas luſit Ditmarſia uires,
In ſua dum madidos agmina duxit agros:
Geßit & in patrijs ciuilia prælia terris,
Contra præcipuos nobilitate uiros.
Penè ſed emeritæ traduxerat ultima uitæ
Fata, nimis miſere cum nocuêre ſeni.
Cum ſurgens nimijs ſors deploranda procellis,
Parte petit carum iam propiore caput.
Illius & gnatus truculenta morte peremptus,
Heu cumulat miſeri triſtia damna patris:
Quem ſors ob plures anguſto limite fratres
Clauſit, & immenſas dira negauit opes.
Et Segebergenſi contractus degit in arce,
Cæſus ubi diro militis enſe fuit:
Ecce ruens Comitis ſecreta bubilia quærit,
Miles ubi uarium nox tegit atra ſcelus.
Hic ubi cum famulo ſomno ſopitus in alto,
Fouit ſepoſito languida membra metu:
Pulſat & admißus, dum nudus uincula rupit,
Inclytus infeſto concidit enſe Comes:

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 69 [35,-56 8°]

Voluitur ille neci: ne culpæ proditor huius
Eſſet & illius cauſſa pudenda mali.
Addidit huic famulum, quid non uis impia cogit?
Cæſoris proprius filius ille fuit:
Cauſſa grauis facinus tantum quæ ſuaſit, & illud
Auſa cruentata cæde ſubire fuit.
Mouit Ioannem cædes tam ſæua ſecundum,
Inq́; pius patrio pectore mœror erat.
Quid faceret? plorans inuiſos protulit annos,
Cladibus, & magnis preſſus ubiq́; malis.
Diua parum ſæuos poſuit iam Lubrica uultus,
Et Comiti modica parte ſerena fuit.
Reginæ thalamis, & claris dotibus auctus,
Quæ de Suecorum ſanguine nata fuit.
Suſtulit ex illa geminos cum coniuge natos,
Diſceßit uerſa ſors uiolenta fide.
Prole fuit felix, felicior ille futurus
Si ſine coniugio conſenuiſſet, erat:
Nam ſenior paſſus (ſi non hic lapſa uetuſtas.)
A proprijs natis impia uincla fuit.
Multaq́; uix grauius regalia pectora uulnus
Conficit, & caſu flebiliore premit,
Ludibria à proprijs ſeruis, turbaq́; miniſtra
Pertulit, illuſtri non patienda uiro.
Vnus ab his, illi ſtructæ qui fercula menſæ
Detulit, inſultans liberiore ioco:
Mox oculo Comitem proiectò turpiter oſſe
Priuat, & indigno uulnere lædit herum.

Vix dolor extincti ceſſauit triſtis Adolphi,
Qui dira cæſus proditione fuit:
Altera Chriſtopheri dum luxit funera gnati,
Funera nec iuſtis accelerata modis:
Hic ad ſublimem dum ſtabat in arce feneſtram,
Et campi uirides inſpiciebat opes,
Excidit & collum foſſa colliſit in alta,
Triſtis & Elyſios ille ſubiuit agros:
An tamen exciderit caſu, uel fraude malorum,
Ambigua tacuit fama uetuſta fide.
Talibus ærumnis, & ſorte grauatus iniqua,
Hic Comes inuiſam morte reliquit humum.
Ah miſer inuitis cui naſci contigit aſtris,
Fortunæq; uago ſubiacet arbitrio.

IOANNES COGNOMENTO LARGVS III.

ILLius auſpitijs, & fauſto robore belli,
Frater Chriſtoperus Danica ſceptra tulit.
Nam regni Proceres moriens orarat Ericus,
Ne fratri ferrent regia ſceptra ſuo,
Eſt locus æquoreis ſtatio gratiſſima nautis,
Intrat ubi denſum curua Trauena ſalum,
Quà ſe latiuago paulatim fluminis alueo
Pandit, & ad ſalſos itq; reditq; lacus.
Illicueliferæ clauſæ, uelut ore, carinæ,
Vndiſonis tutæ delituêre minis,
Stat prope candeſcens, ſummas educta ſub auras,
Turris & æſtiua lumine nocte nitet:

Excipit & dubias uenientes æquore puppes,
 Præbet & ignaris præuia ſigna uiris:
Hanc ubi proſpexit dubia de puppe magiſter,
 Nox ubi conſpicuum præripit atra diem.
Et Borea ſæuis graſſante uolutus in undis,
 Paßus & imbriferi mille pericla Noti.
Exclamans, ſocij dextram deflectite dicit,
 Turris ubi claro lumine uaſta nitet.
Portus hic antiquis ſemper fuit obuius annis
 Hoſtibus, & multas pertulit ille uices:
Danica nunc illum, nunc milite Vandala uicit
 Turba, Lubecenſes dum ſequerentur opes.
Arx ſtetit hic uaſtas excepit & æquoris undas,
 Nunc ubi congeſta ſtat grauis agger humo:
Hanc quiſquis ualidis primo ſibi ſubdidit armis,
 Ius in pontiuagas ille tenebat opes.
Sæpius hic domuit truculentos fortiter hoſtes,
 Compulit & celeres ferre tributa rates.
Tum VVagricas leges, iurataq; ſceptra ſecuta,
 Et largi Comitis ſub ditione fuit.
Hanc arcem, pictis & portum nauibus aptum
 Vendidit hic dominis celſa Lubeca tuis.
Iußit & immunes ad mœnia currere puppes,
 Quas uehit ex uaſto curua Trauena mari.
Cum conſanguineo quoq; geßit bella Gerhardo,
 Qui claro dignus nomine Magnus erat.
Imputat extincti cui cædem fratris Adolphi,
 Dum mortem diro militis enſe tulit.

At pax

At pax dum rediijt patruelibus alma duobus,
Danica, coniuncto milite, rura petunt.
Quemq; Comes fratrem coniunctis nuper in armis
Daniaci iuuit ſceptra ſubire ſoli.
Nunc ô Chriſtopherum (ſors omnia uerſat) eundem,
Milite de patria pellere iuuit humo.
Tunc cum ponticolis generoſa Lalandia Cymbris
Adq; ſuos bello Falſtria ceßit agros.
Arx & uictrices ſenſit Gottorpia uires,
Et fera nongenti uincla tulere uiri.
Bella ſed in patrijs cum plurima geßerat aruis,
Reddideratq; æui tempora nota ſui.
Ocia ſectatus tranquillæ dulcia pacis,
Nulla cruentati Martis ad arma redit.

ADOLPHVS COMES VVAGRIAE IIII.

INclytus, & uere plenus uirtutis Adolphus,
Et geſtis bellis paceq; clarus erat.
Quas illi genitor moriens mandauerat arces,
(Has nuper forti uicerat ille manu.)
Fortiter adſeruit, uictricia ſignaq; ducens,
Inuaſit fines Iutia culta tuos.
Tundera fictilibus iacet hic firmißima muris,
Arx procul æquoreo conſpicienda ſalo.
Impiger hanc patrio dum milite cingit Adolphus,
Expugnata fera ſubditur illa manu.
Multaq; tranquillæ traduxit tempora ſortis
Dum probus, & nullis inuidioſus, erat.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 69 [35,-56 8°]

Eruit & latebras, ingeni laude, Latronum,
Atq; manus pœnas inſidioſa dedit.
Huius erat coniux Obotrito ſanguine creta,
Nobilis Henrici filia clara Ducis.
Qua cum nulla tulit manſueti pignora lecti:
Vltima ſtirps generis concidit ille ſui.
Hic quæſita fuit recta ſucceſsio lege,
Illius & uacuos qui moderetur agros.
Sed certis nummis, & ſacro fœdere pacto,
Holſatico VVagrici iungitur ora ſoli.
Inclyta ſic cecidit ſtirps excellentis Adolphi,
Et titulus VVagrici concidit altus agri.
Hic ubi cœnobium puro quod nomine Campo
Continet, in ſyluis arboribusq; iacet.
Hic auus, hic proauus, pater hic, & filius iſtic,
Surrectura leui membra ſopore fouent.

ABSOLVTVS HISCE COMITIBVS VVAGRIAE, ORDINE RELIQVI Comites Holſatiæ & Stormariæ ſequũtur.

HENRICVS VII.

DAnica collectis infeſtans agmina ſignis,
Eidori liquidum tranſijt ille uadum.
Regis & inſtantis deuicit robur Erici,
Illius hic crebro milite læſit agros.
Læſa minus fauſtis tellus Ditmarſia bellis,
Huic quoq; funeſto marte petita fuit.
Ecce ruens celeri primo lepus agmine curſu,
Concitat armatos clamor utrinq; uiros.

Beſtiolamq;

Beſtiolamq; fugâ laſſant, ortoq; tumultu,
Miſcentur uario fortia caſtra metu:
Diffugiunt, rupto nec ſeruant agmine uires,
Hoſtibus & turpi ſuccubuêre manu.
Seu fuit hoc omen, dirus uel militis error,
Abſtulit hæc multos pugna cruenta uiros:
Fama tamen multos de nobilitate priores
Rettulit hanc turpem conſuluiſſe fugam.
Ergo procul merito patrio de rure fugati,
Exilio pœnas perſoluêre graui,
Brema, ſed his forti quo Præſule floruit annis,
Illa reuertenti prælia pace fugat.
Ac iterum miti coijt Ditmarſia pace,
Nullaq; uicinis intulit arma ſuis.
Sed, quæ pulſa fuit, ueſanis æſtuat iris,
Nobilitas, dominis & parat arma ſuis:
Et quas Saxonicis uires contraxit ab agris,
Vertit in exitium, patria terra, tuum.
Fortis at Henricus ciuiles proterit hoſtes,
Et cadis ambiguâ Saxo repulſe nece:
Omnigenæ primus dum uectigalia mercis
Exigit, Hamburgi qua ſita tecta iacent,
Noluit hoc ciuis, tandem parere coactus,
Iſtaq; ſæpe fremens ferre tributa, fuit.

GERGARDVS II., COGNOMENTO MAGNVS, ET IOANNES, FRATRES, VIII. ET IX.

Hic

HIC ingens fama, multis ingentior armis,
Et clara dignus poſteritate Comes.
Aſpera ſors illi, primis & parua ſub annis,
Gramminci coluit iugera pauca laris.
Crebrior & canibus uirides circumdare ſaltus
Cura, procul luxu deſidiaq;, fuit.
Maior at a tenui ſuccreuit gloria ſorte,
Et magnus dictus nomine, req; fuit.
Felix qui tacita primum caligine preßus
Erigit excellens per decus omne caput.
Hic ubi coniugium medijs contraxit in annis,
Cedere paulatim ſors fera, uiſa fuit.
Eius Saxonica coniux de ſtirpe profecta,
Ioannis fuerat filia cara Ducis:
Qui cum fratre ſuo patrios ut diuidit agros,
Illius exilis parsq; minuta fuit:
Marte gener ſocerum iuuit, fratremq; coegit
Linquere non æqua prædia rapta manu.
Quando trucidato Segebergi cæpit Adolpho
Mœnia, difficili uix adeunda pede:
Victor Ioannis compeſcuit agmina largi,
Vlciſci fratrem dum cupit ille ſuum.
Huic, tot uerſutis Ditmarſia noxia techniis,
Semper ab hoſtili tutaq; terra globo,
Ceßit, & o pulchre iam ſtratagemate uicta,
In ſoluit ſimiles terra doloſa uices.
Forte ſub obſcura latitantem nocte myrica
Impiger hoſtilem ſenſerat ille manum:

Ergo re-

Ergo repercuſsi ſub nigra crepuſcula Phœbi
Accelerat, pulchros nocte iubente dolos:
Cumq́; ſuis ſocijs deciſos arbore ramos
Præfert, armatos & tegit arte uiros:
Arripit & felix hoſtes, & funera paſsim
In fœdo texit tincta myrica ſolo:
Quingentos ferro mors abſtulit improba, præter
Quos in limoſas hoſtis agebat aquas.
Annus ut exierat, nec adhuc Ditmarſia bellax,
Holſatico uoluit cedere terra iugo:
Ergo rebellantes cum fratre pro fectus in hoſtes
Ingenti diros clade repleuit agros.
Milleq́; iam cæſos, ſeptingentosq́; uehebat
Per ſtyga, ſetoſus puppe tremente Charon:
Cum tendit ſupplex miſeras Ditmarſia palmas
Seq́; tuo ſubdit Magne Gerharde iugo:
Ah dolor, & ſero caſus plorandus in æuo,
Supplicibus ueniam ſorſue maligna negas?
Scilicet exitio, diris & (flebile) damnis,
Victores premeres inſidioſa uiros?
Heu labor, extremo uis & tentata periclo
Quid non, iudicio nil remorante, ſubit?
Audet & immenſum nimis tumor, altaq́; frangit
Flumina, flammantes tranſit & ille rogos.
Stat uetus, & uaſto firmatur ab aggere templum,
Ditmarſi tremula quà coiere manu.
Hoſtis adeſt nudo ferro, metuendus & igne.
Illi difficili ſtantq́; pauentq́; metu:

Supplicibus tendunt elataq́; brachia uotis,
Vota nihil, fuſæ nil ualuêre preces.
Iamq́; ſuperpoſitum deſtillat culmine plumbum,
Inq́; cadit miſeros ignea gutta uiros.
Quid facerent? hoſtes illinc, hinc ſæuijt ignis,
Aſperior quouis igne ſed hoſtis erat:
Fit uia ui, rumpunt cuneos, uaſtoq́; feruntur
Impete, funeſtus clamor & aſtra ferit.
Vincere, ceu certa cupiunt occumbere morte,
Vltima proq́; ſua bella ſalute gerunt:
Intereà tacti latebris uluaq́; paluſtri,
Quosq́; timor uarijs abdidit ante locis:
Iam redeunt, uires & pectora priſca reſumunt,
Rurſus & audaces ut coiêre manus,
Mox interceptos animis ingentibus hoſtes,
Telis, & ſudibus, fuſtibus, enſe necant
Nullus & elabi potuit, ſtat mortis imago,
Vndiq́; ferales & uomit ore minas:
Principibus mixtum cecidit miſerabile uulgus.
Pingitur & fuſo tincta cruore palus:
Mille bis hic Pluto uenientes excipit umbras,
Atq́; ſuo ſudat feſſus in amne Charon.
Effugit inſignis ſolus uirtute Gerhardus,
Et Dominus nigri qui gerit ora bouis.
Hinc cum Valdomari defendit rura Nepotis,
Sleſuuitiæ lectus Dux fuit ille ſoli.
Agmina Chriſtopheri concidit Danica Regis,
Continet à forti mons ubi nomen equo.

Arx & munitis iterum Gottorpia foſsis
    Pene procul pulſo ceſsit adepta Duci.
Dania cum populi plauſu, Procerumq́; ſenatu,
    Valdomaro iuueni regia ſceptra dedit:
Is conſanguineum ſolenni more Gerhardum
    Sleſuuitij titulos iuſsit habere Ducis.
At Rex Chriſtopherus prærepto triſtis honore,
    Accipiat patriæ rurſus ut arua ſuæ,
Aes magnm Comiti pacta dat lege Gerhardo,
    Illius & largo munere quærit opem.
Irriquieta graui mouit qui bella furore,
    Sic iterum patriæ Rex capit arua ſuæ.
Felix, ſi pactas generoſo pectore leges,
    Pacis & impoſitum non uiolaſſet opus:
Rurſus ut infeſtis Gottorpia mœnia ſignis,
    Et Rex Sleſuuitias preſsit acerbus opes:
Aduolat & duplo maiores deijcit hoſtes,
    Inq́; fugam paruo Marte Gerhardus agit:
Dumq́; fugam timidè, noctisq́; ſilentia quærit,
    Rex tulit infeſtæ uincla dolenda manus.
Liber Ioannis fratris ſed munere Largi,
    Hinc clauſit celeri fata ſuprema die:
Occubuit genitor: duris Otho filius armis
    Holſaticam quando rurſus adiuit humum,
Hunc quoq; bellipotens in uincula ſæua Gerhardus
    Conijcit, ad muros alta Viburga tuos:
Nec prius exemit captum, quam grandia pendat
    Præmia, deuicti reddat & arua ſoli.

At cum uindicibus te uaſtat Iutia ſignis,
Atq; ſibi raptos iure repoſcit agros:
Hic cadit iſtius bellator maximus æui,
Cui Mars, & Pallas ſemper amica fuit.
Inuictusq; fuit ſæuo qui cominus hoſte,
Nocturnis cæſus condidit ille dolis:
Nec minor in caſtris luctus, cum mane ſereno
Nota fuit tanti mors inopia uiri:
Olim quam miſeró ſublatum funere Troia,
Et raptum bijugis Hectora fleuit æquis.
Qua iacet Itzouium ſacratis nobile tectis,
Mortua ſuppoſito condidit oßa ſolo.

HENRICVS, COGNOMENTO Ferreus, & Nicolaus, fratres. X. & XI.

Extulerat Danos hilari blandißima uultu
Sors, ubi ſublatus cæde Gerhardus erat.
Præcipuè læto ſe tollens Iutia plauſu,
Credidit inuictum iam cecidiße caput.
Sed Deus, & diræ reſtat grauis ultio pœnæ,
Neſcio quid ſecum fataq; dura trahunt?
Et dolor, & luctus, & uis nocturna latronis,
Turpiter & cæſi mors miſeranda patris:
Excitat ultores in prælia fortia natos,
Arma citó fauſta corripiuntq; manu.
Qua iacet elatis arx Scaldinburgia tectis,
Spernit & infeſtas aggere tuta manus.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 69 [35,-56 8°]

Turpis ouans iſtic crudeli Latro cohorte,
 Nil meritæ timuit proxima fata necis:
Accelerant Comites, & cinctam fortiter arcem,
 Expugnant auida diripiuntq; manu:
Hic duo nudato concidunt millia ferro,
 Denſaq; letheos inſilit umbra lacus.
Impius at toto quæsitus in agmine latro,
 (Nemep dolorifica morte necandus erat.)
Ducitur ad comites captiuus, & ultima plorans
 Fata ſuum facinus, promeritamq; necem,
Quatuor in partes Acherontis ſectus ad undas
 Mittitur, & ſtygias corpore terret aues.
Viderat, & ſæuis totum clamoribus orcum
 Implet, & horrendum pluto malignus, ait:
Perdidit hic dominum, ſtygiæ mihi ferte ſorores
 Flagra, cruces, furcas, flumina, ſaxa, faces.
Omnibus hic dignus pœnis: & discitê ueſtras
 Quos agit in tantum dira cupido ſcelus,
Hi conſobrino Comites & uincula nectunt,
 Dum non promeritis improba damna facit:
Aes tamen expenſum captiuum grande redemit
 Bis fuit ut curua falce reſecta Seges.
Fallitur, ex meritis qui ſperat præmia factis,
 Sepe cadit nullo crimine læſa fides:
Daniacos Comites ſedarunt agmine motus,
 Et regni præſtans adſeruêre decus:
Quemq; ſuo profugum iuuarunt milite Regem,
 Regia prærepti ſceptra tenere ſoli:

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 69 [35,-56 8°]

Nunc tamen hic illis deuictas inuidet arces,
Et meritos nulla conditione premit.
Teq́; premit geminis arx Callinburgia ſignis,
Quæ ferus à terra protuleratq; mari:
Impiger Henricus ualidis ſed claſsibus æquor
Armat, & obſeſſos liberat hoſte uiros.
Cæpit, & immites proſtrauit in æquore Danos,
Inq́; maris uitreas præcipitauit aquas.
Fratribus his etiam diſcordia magna duobus,
Cum populo creuit magna Lubeca tuo:
Vrbs quoq́; quæ pugilis nomen ſibi uendicat Hamæ,
Sex horis refluas ſentit & Albis aquas,
Hoc premit, & forti ſua iungens arma Lubecæ,
E patria Comites pellere tentat humo:
Abſtulit hos Cæſar poſt plurima damna tumultus
Et domuit motus plebs furibunda tuos.
His quoq; nobilitas patrijs oneroſior oris,
Ob latrocinij nomina fœda fuit.
Eiectiq́; ſuis hoc ſontes crimine terris,
Cum ſocijs dominis arma tulere ſuis.
Vicinæ Comites augent ſed uiribus urbes,
Et meritas pœnas impoba turba dedit.
Arx tunc occiduo tenuit quæ nomina Ponto
Diruta ſubiectam culmine texit humum.
Vmbriferas inter VVoltorpia condita ſyluas,
Grandeq́; Liuouiæ concidit arcis opus
Quin etiam plures, diris latronibus aptæ
Arces, ex imo tunc cecidêre ſolo.

Qui Dux in clypeo pulſum præmonſtrat equinum,
Saxoniciq; regit ſubdita rura ſoli.
Huius & infeſtos populatus milite pagos,
Bellaces ſtrauit ruſtica turba uiros.
Hinc Hamburgenſis de Cæſare, gentis & Vrbis
Ius, reprobi ciues quod renuere, ferunt,
Hos ego Phæbeo claros quid carmine fratres,
Quos labor, & pietas tollit in aſtra, feram?
Non iſto Comitum maior florebat in æuo
Gloria, legitimis partáq; fama modis.
Nicolaos uarijs dum frater militat oris,
Defendit patrij rura decusq; ſoli.
Iutia ſed claras, quas illi debuit arces,
Militis ab læſa perdidit ille fide.
Dij tibi dent miles pœnas, quicunq; fuiſti,
Fœderis oblitus, perfidiæq; reus.
Te quoq; cum ſæuo fæcunda Fionia bello
Vaſtat, & addictam poſtulat enſe fidem.
Perdidit hic oculum pugnans, & captus ab hoſte
Euaſit cautis triſtia uincla dolis:
Namq; ſuum cælans nomen, Comitemq; potentem,
Hunc ſinit impoſita uictor abire fide.
Poſt ubi pænituit: patrijs hic tutus in oris,
Succeſſu riſit non caruiſſe dolos.
At gratus ſuperis, ſacras mox conſtruit ædes,
Soluit & auſpitijs debita uota pijs:
Templaq; de patula quæ cum Iouis alite fago,
Nomen habent, patrio condidit ille ſolo:

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 69 [35,-56 8°]

Nunc ubi piſciuori compreſſo murmure fratres,
Multa ferunt ſuperis uota precesq; Deis:
Arx ubi difficili Dorningia clauſa coborte,
Suſtulit extremas obſidione moras.
Aduenit, & ſocios rebus defendit in arctis,
Soluit & immenſo Danica caſtra metu.
Dux ubi Brunſchwigi telo, metuendus & arcu,
Impiger Alberti Magnus in arma ruit:
Adſerit Alberti partes Magnumq; coegit
In celeri uitæ ſpem potuiſſe pede.
Ingruit Holſaticis Ditmarſia fortiter oris,
Ducitur & ualida præda petita manu.
Hoſtis adeſt, & abeſt inſtructi copia Martis
Et plorant tantum lumina mœſta nefas:
Non tulit hoc audax animis, & uindice dextra,
Fertur tn hoſtiles cominus ille manus.
Exiguaq; manu uiolento præripit hoſti,
Quas prædas patrio duxerat ille ſolo.
Dum Comes exceſſit uita grandæuus Adolphus,
Ea ceſſit titulis VVagrica terra ſuis.
Schouuenburgiaco nummos hic pendet Othoni,
Iungit & Holſatico VVagrica rura ſolo.
Comis hic, & ſuperis acto deuotior æuo,
Sincera ſimplex & probitate fuit.
Exoſusq; graues faſtus, pompasq; ſuperbas,
Non minuit patrias luxurioſus opes.
Interea toto bellum circumtulit orbe,
Frater belligeri natus ad arma Dei.

Robur

Robur & inuictum propter, duroſq́; labores,
Quos ſub ſole frequens, ſuſtinitq́; niuie.
Fortia de rigido meruit cognomina ferro,
Hoſtibus & uiſus ferreus ille fuit.
Contudit immites innato robore Fhinnos,
Suetia montanis quos tegit alta iugis.
Vicit Teutonica natos & origine Francos,
Dum ſceptris inhiant Anglia clara tuis.
Diſsimileſq́; tuum quantumuis Gallia Regem,
Eduuardi captum protrahit ante pedes.
Ergo Comes Regi ſemper cariſsimus Anglo
Extitit, & laudem, donaq́; larga tulit.
Læditur inuidia ſed uirtus, ſummaq́; dextro
Quem bene promeruit gloria, fine caret.
Et grauis obſcurat meritas calumnia loudes,
Quemq́; leuat uirtus, ſors inimica premit.
Et pietate potens, & multis inclytus armis,
Et Comes hic omni laude modeſtus erat:
Attamen inſidijs leuibus quæſitus ab Anglis,
Tutus erat ſummo uim prohibente Deo.
Rex aberat: Comitem certæ iam tradere morti
Decreuit ſtructis æmula turba dolis.
Hortus erat uiridis regali proximus arci,
Fortiter artifici clauſus utrinq́; manu:
Rex ubi quadrupedum cauea concluſus in alta
Stat ferus, hirſuto frendet & ore leo:
Hic matutino ſpatiari tempore ſueuit,
Mollior à zephiro cum tepet aura, Comes.

Nocte Leo Procerum dira ſed fraude ſolutus
Incauti laceret corpus & oſſa uiri:
Tempus erat ſolitis Henricus obambulat horis,
Inſpicit & uirides, quas tulit hortus, opes.
Obuius it Comiti patuloq́; ferißimus ore
Rugijt horrendum uoce ſonante Leo.
Ille ſed intrepidus, canis, alta uoce, quieſce
Inquit, & ingeminat, dire quieſce canis.
Sternitur intrepida Leo uoce, remiſſaq́; languet
Ira, feræ triſtes & cecidêre minæ.
Arreptamq́; Comes manſueto crine reduxit,
In caueam, fortes claudit & arte fores.
At manus in patulis ſtans inſidioſa feneſtris,
Succeſſum ſtructis fleuit abeſſe dolis:
Criminis & tanti turpi correpta pudore
Aufugit, & Comitis robur & arma timet.
Felix quem uirtus, & mens ſibi conſcia recti
Vi nil, & ſæua fraude nocente, tegit.
At doluit Comiti ſcelus & lætale periclum,
Vlciſci & ſimili ſe cupit ille uice.
Tempore quo ſolitos repetit poſt prandia luſus,
Et ſocijs hortum Rex comitatus adit:
Hic pars ad caueam ſæuorum magna Leonum,
Dum procerum, luſu progrediente, ſtetit.
Irruit hic audax, & quis ſit fortior, inquit,
Aut me progenie nobiliore ſatus,
Hoc fera, quid uanæ iactatis nomina ſtirpis,
Protinus inditio non dubitante dabit.

Dixit, & auratum quod cinxit tempora ſertum,
Arripuit celeri Rege uidente manu:
Intrat & ad ſæuos reſerato poſte Leones,
(Audax & uere ferreus ille fuit.)
Quiq; Leo reliquos rugitu uicit & ira
Illius impoſuit florida ſerta iubis.
Exit & illæſus cauea: qui nomina ſtirpis
Iactat, & inuictæ fortia facta manus,
Hoc, inquit, Proceres forti mihi pectore ſertum,
Si referat, uerè nobilis eſſe poteſt:
Nec mora decedunt multũ et pudor improbus omnes
Arguit, & timidos degeneresq́; notat.
Hic Comes ad Regem technis commotus & ira,
Incipit, ô patrij Rex uenerande ſoli,
Hæc ego perſpectæ fidei, duriq́; laboris
Pro te bella gerens, triſtia dona fero?
Vltro, ſi placuit, potui diſcedere, certè
Tam diris canibus non abigendus eram.
Rex dolet, & iurat Proceres crudeliter auſos,
Ignaro tantum ſe potuiſſe ſcelus.
Vtq́; rogat, maneat, ſalui non infima regni
Gloria, bellorum præcipuumq́; decus:
Ille negat: patrias optatq́; reuiſere terras,
A forti ueniam regeq́; mente petit.
Ille dat, & comitem magno dimittit honore,
Addit & ingentes, quas meruiſſet, opes.
Annua compoſito tulit & ſtipendia pacto.
Cum ſit opus, foueat Regis ut arma, Comes.

Frater

Frater at extremos cum pene peregerat annos,
 Expers & ſobolis ſorte negante fuit.
Hic quoq; coniugio pectus ſubmiſit honeſto.
 Et datur hinc Heruli filia pulcra Ducis:
Suſtulit hoc trinos fœcundo germine natos
 Et rurſum uacuos prole beauit agros.
Eius Noruagico ritè dum nupſit Aquino,
 Valdomarus rupit Rex ea pacta, ſoror.
Irrita ſed nulla fierent ſponſalia parte,
 Præcauit tali conditione Comes:
Rex Suecus magnus, ſi fœdera pacta reſoluet,
 (Scilicet iſtius natus Aquinus erat.)
Cedat ut è proprio (lex iſta grauiſsima) regno,
 In nulla proceres contineatq; fide:
Henrico Comiti patrios ſed ſubderet agros,
 Iurando proceres talia pacta probant:
Si Comes at pacti fortaßis fœdera lecti
 Rumperet & ſtabilem quam dedit ante fidem:
Vt multis ualidam cum nummis perderet arcem,
 Calmera Suetiaco quæ iacet alta ſolo:
Rex Suecus uiolat leges, iurata ſed urget
 Pacta Comes, uanam nec ſinit eſſe fidem.
Sacra fides Proceres mouit, regniq; coronam
 Et Comiti Holſatico debita ſceptra ferunt:
Ille ſed in ſera longos ætate labores,
 Quasq; parant curas ſubdita regna graues,
Effugit, emeritæ ſectatus & ocia uitæ,
 Suetiaci ſpernit ſceptra ſubire ſoli.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 69 [35,-56 8°]

Affiniq; ſuo ſpreti diademata regni,
Contulit & fidei debita rura ſuæ.
Protinus Albertus patrijs accitus ab oris,
Suecorum præſtans Rex diadema tulit.
Ferreus hinc placidos Henricus transigit annos
Vtitur & pacis commoditate ſenex.
Itzouium gelido donec lethalia buſto
Oſſa tulit, ſacrâ clauſaq; condit humo.

GERHARDVS III. PRIMVS DVX Sleſuuitiæ, Albertus & Henricus fratres. XII. XIII. XIIII.

HIc Comitum primus nemoroſis condita ſyluis
Quos tulit auſpitijs patria terra bonis,
Dux eſt Sleſuuitiæ ueterum de more creatus,
Cum ſceptrum triplex Margaris alta tulit.
Attulit Holſatiæ multos res iſta labores,
Bellaq; funeſtis flebiliora modis.
Ille ſed infeſtis eſſet quò tutior armis,
Demeruit firmo Saxona rura thoro.
Saxoniæq; Ducum præſtantem laude ſororem
Duxit, & hac patrios extulit acer agros.
Cum quoq; Principibus uicinis fœdera iunxit,
Nigra Todilouij quà ſita tecta iacent:
Inter & inſignes illi contentio fratres,
Cum fato cecidit patruus, orta fuit
Poſt ubi finitis redijt concordia rixis,
Hoſtibus infligunt uulnera mlile ſuis.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 69 [35,-56 8°]

Irruit & Fhriſicos Albertus fortis in agros,
Dum ſtabant rigido flumina ſtricta gelu.
Et diro patulas prædatus milite terras,
Emunxit nummis oppida quæq; ſuis.
Quando ſed immiti fera te Ditmarſia bello
Aggreſſus, caro fratre iubente, fuit,
Lapſus equo, indutis miſerè colliſus in armis,
Tempora non poſt hæc longa ſuperſtes erat:
Et ſocer extinctum miſerè defleuit Ericus,
Arx ubi de ſœuo dicta Leone iacet.
Frater at inceptum diro molimine bellum
Vrget, & immenſam cogit ubiq; manum.
Rurſus & infelix Ditmarſia tendit in arua,
Qua cecidit turpi cæſus & ille dolo.
Et Duce ſublato miſerum ſæuitur in agmen,
Holſatij & dira ſuccubuêre nece.
Funeris & cæſos nullo dignamur honore,
Aſperior Scythico gens truculenta gelu.
Corpora purpureos & paßim nuda per agros,
Eſca lupis, diris uulturibusq; iacent
Quin odijs etiam diroq; ſoluta furore
Sæuit in extinctos turba ſceleſta uiros.
Effera gens, uaſtis & ſemper tuta lacunis,
Et belli toties crimine, fraude nocens:
Quando erit? ut meritas exoluas improba pœnas,
Exitijq; feras fata ſuprema tui?
Quando erit Holſaticis ut uictima gratior umbris,
Turpiter ad ſtygios cæſa uehare lacus?

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 69 [35,-56 8°]

Occubuit præſtans medio ſub flore Gerhardus,
Et patri ſoboles multa relicta fuit:
Huius & in patrijs Comes Aldenburgius oris,
Qua Fhriſia irriguis undiq; turget aquis,
Legitimo duxit Thitericus fœdere gnatam,
Qua magnos Reges, progenuitq́; Duces.
Qui nunc belligeros animoſo pectore Danos,
Holſatijq́; regunt Martia rura ſoli.
Sedpoſtquam cecidit caro cum fratre Gerhardus,
Et miſerè patrium fleuit utrumq; ſolum:
Nec mora, Daniacis iterum ſubmittere ſceptris,
Præſtans Sleſuitios tentat Ericus agros.
Inq́; negat natos patrio ſuccedere iure,
Res ea ſolliciti plena timoris erat.
Naſcitur hinc longum diro conamine bellum,
Adſerit & teneros patria terra Duces,
Frater & extincti magna uirtute Gerhardi,
Pro conſanguineis induit arma ſuis,
Oſnaburga tuus nato qui Schiſmate, Præſul,
Inſigni lectus uir pietate, fuit:
At nunc ille ſacris ad triſtia bella relictis,
Tutatus fratris pignora chara, uenit.

HENRICVS DVX SLESVVICI II. COMES HOLSATIAE XV.

ILLius infeſtis genitor dum concidit armis,
Septennis fuerat filius ille puer.
Obſide, Sleſuuitias quo præſtans Margaris oras,
Credidit iniecto iam domuiſſe metu:

Callida

Callida ſed genetrix ubi uires ſenſit & arma
Danica filiolis inſidioſa ſuis:
Euocat occultè gnatum, qui fortiter hæres,
Omne decus patrij mox tueatur agri,
Mox oritur bellum, primis & fortiter armis
Vicit Daniacas, Saxona turba manus.
Vrbs & Sleſuuitiæ Flensburgum gloria terræ,
Subditur Holſatico milite uicta iugo.
At Ducis Henrici iam bellis aptior ætas,
Triſtia pro patrijs ſuſcipit arma focis.
Et te cum patruo uiolento iutia marte,
Aggreditur Fhriſios & truculenter agros.
Illius & fauſtis non Tundera reſtitit armis,
Tundera crudeli ſæpe petita manu.
Et iam Daniacis Rex centum millia terris
Egit, & horrendis terruit arua minis.
Ac in Sleſuuitiam, quam uicit, ſæuijt urbem
Impiger Albertus Dux ubi uincla tulit.
Tum res Holſatiæ tantis exhauſta periclis,
Peneq́; ſupremo culmine lapſa fuit:
At Comes Henricus canis inſignis & annis,
Hamburgæ gratam mox petit urbis opem:
Accipit, & ſubito Gottorpia mœnia curſu,
Vrbano, ſenior, milite cinctus, adit.
Et triſti Holſaticas pauitantes pectore turmas
Erigit, obſeßis ſpemq́; metumq́; leuat.
Ceſſerat hoc Danis uiolento Cymbria bello,
Quodq́; uelit, iurat, regia ſigna ſequi:

At nunc

At nunc ui ualida, magnoq́; ſubacta labore,
Cogitur à pacta cedere mœſta fide.
Non uelit hoc miro gens Danica concita motu,
Rurſum ter miſeros & ſibi ſubdit agros:
Hîc dolor hîc luctus oriturq́; miſerrima cædes,
Sæuijt hic ſtygijs Eumenis ipſa minis.
Templaq́; crudeli ceciderunt diruta ſtrage,
Improbus & ſacras diſijcit enſis opes.
Hoſtis & hîc nulli (dirum ſcelus) ira pepercit,
Additur & matri uirgo necata ſuæ.
Imbellesq́; ſenes, pueros, & inutile uulgus
Crudeli extinxit Danica turba nece.
Ipſeq́; crudeles non Rex inhibere cohortes,
Nec potuit tanti damna cauere mali.
Et memor iſtius, uitæ per tempora, cladis,
Dicitur indignis illachrymaſſe genis.
Vicerat hic Danus, ſed non ſors undiq́; fœlix
Attulit huic alio triſtia damna loco:
Et manus in gelido uincens Hamburgica Ponto,
Milite Daniacas merſit in ima rates.
Et pacem magnis emit Hadersleuia nummis,
Senſit ut Henrici bella ſecunda Ducis.
Iam pia funeſtum ſpectabat ad otia bellum,
Pacificatores & coiêre Duces:
Inuidit fortuna leuis, cadit irrita pacis
Spes, redit indomiti grandeq́; Martis opus.
Laude Sigiſmundus, claris inſignis & armis
Has etiam rixas tollere nixus erat.

Et Dux Sileſij Rumpoldus maximus agri
Venit in Arctoam, Cæſare miſſus, humum.
Arbiter hic belli, cano uenerandus & æuo,
Conſilioq́; potens, eloquioq́; fuit:
Ille Ducis, triſtes & Regis mollijt iras,
Et coijt parua dextera iuncta mora.
Sed pax tum plenis coijſſet candida uotis,
At bonus immiti morte ſequeſter obit.
Nec mora, quod pepigit præſtãs Dux, ſoluit Enio,
Et ſtygio triſtes iactat ab orbe faces:
Et Ducis immites, Regisq́; recolligit iras,
Viribus & totis rurſus in arma ruunt.
Imperij mores, & ius ſolenne requirens,
Bis cum concilium Dux generoſus adit:
Perdidit heu iuſtam, non æquo iudice, cauſſam,
Eſt & Sleſuuitios linquere iuſſus agros.
Ille negat, dictis patulas nec præbuit aures,
Nempe minus dextro iudice læſus erat:
Præſulis Auſonij ſed prouocat ante tribunal,
Quo tenuit patrios iudice tutus agros.
Cæſaris arbitrium rigidis ſed fortiter armis
Vrget, & inſigni Rex parit arma Duci.
Tectaq́;, uicinam, Gottorpica, cingit & urbem
Sleſuuitiam, clauſos pugnat & ante fores.
At ſex Vandalicis notæ cultoribus urbes,
Quas nunc bellipotens Teutona turba colit:
Tum quoq́; belligeris indicunt prælia Danis,
Et forti iungunt agmina fida Duci.

Linqui=

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 69 [35,-56 8°]

Linquitur obſidio uaſtæ mox urbis,& arcis,
Rex & in æquoreis claſſe reſedit aquis:
Dumq́; moris longis hoſtes eludit & aſtu,
Mouit & è medio prælia nulla freto:
Dictus erat tuto timidus ſub gurgite Caſtor,
Cauda q; huic medijs ſemper inhæret aquis.
At tum Glambecam, ſic Cymbria nuncupat, arcem
Holſatij ſtructo diripuêre dolo.
Vaſta Molendini Dux mœnia uincit,& arma
In Flensburgenſes omnia uertit opes:
Et furit ad ſæuam magnis conatibus urbem,
Diraq́; de ſicca prælia tentat humo:
Frater at æquoreo ſuccinctus Marte Gerhardus,
Clauſa ruinoſa mœnia claſſe premit.
Vrbs obſeſſa graues tulit & Flensburgia caſus,
Et doluit terræ, diraq́; ſigna maris.
Heu dolor, heu rigidi uis infeſtiſſima belli,
Suſtulit hic fortem ſors inopina Ducem.
Denſa ſtetit ſepes rigidis contermina caſtris,
Hic latuit uigili Danica turba manu:
Nixus ubi forti poſita Dux pectore ſcala,
Quid facerent hoſtes dum ſpeculatur, erat.
Principis hîc nomen ſæuiſſimus audijt hoſtis
Audijt,& celeri mittitur haſta manu:
Sæpeq́; traiectum rupit Ducis ilia ferrum,
Protinus & diro uulnere læſus, ait:
Tollite me ſocij, ſatis eſt, extrema peregi
Fata, mihi parcæ fila ſoluta ſecant.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 69 [35,-56 8°]

Dixit, & impoſitus ſcalæ, caſtriſq́; relatus,
Clauſit adhuc iſto fata ſuprema die.
Integer ô animis princeps, fortiſsime dextra,
Ante diem patriæ flos cadit ipſe tuæ.
Quæ te prima dies bello dedit, abſtulit illa,
Perdidit & tantum patria mœſta decus.
Non adeo generos mœrens defleuit Adraſtus,
Quotquot & ad Thebas occubuêre Duces.
Arcades haud tantum iuuenem Pallanta peremptũ,
Euandri lachrymas aut doluêre patris.
Non adeò Turnus Lauſum, Lauſiq́; parentem
Fleuit, ut Aenea cæſus uterq́; cadit:
Illum quam miſerè mœſtis exercitus armis
Luxit & in longos Teutonis ora dies.
Scilicet indignæ fatum miſerabile mortis,
Et uirtus, iuuenis claraq́; fama Ducis:
Principibus mouit lachrymas, & turpibus auſis,
Incuſant triplices hic ualuiſſe Deas.

ADOLPHVS DVX SLESVVI-TIAE ET GERHARDVS *fratres.* XVI. XVII.

Hi quoq́; non patrijs animoſo pectore terris,
Aut ſignis cedunt, fortis Erice, tuis:
Fortibus obſiſtunt animis, bellumq́; timendum
Conficiunt terra, conficiuntq́; mari:
Et dux uelifera truculentus claſſe Gerhardus,
Daniaci quaſſat littora curua freti.

Obſtruit

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 69 [35,-56 8°]

Obſtruit Hauffniacos & ſæuò milite portus,
  Et quatit emiſſis mœnia uaſta globis.
Intereà fortis te Iutia uaſtat Adolphus,
  Et pecudes domitis uictor abegit agris.
Inſignes & equos, & oues, caprosq́; ſalaces,
  Agricolæ raptos & gemuêre boues.
Sleſuuitiæ Ducibus non latis inſula terris
  Paret, & excellens Alzia nomen habet.
Danicus hanc miles, patrijs ut ſubdat habenis
  Arripit, & uitreas puppe moleſtat aquas:
At munita ſuis arx Sunderburgia uallis,
  Et gens inuicti fortis ad arma loci.
Reppulit aduectos animis ingentibus hoſtes,
  Rurſus & æquorias arripuêre uias.
Quinq́; bis & medio tempeſtas orta profundo
  Abſtulit, & triſtes merſit acerba rates:
Atq́; Duces pulcra Flensburgi mœnia fraude
  Vincunt, Daniacas eijciuntq́; manus:
Eſt ſitus ad claram mons munitiſſimus urbem,
  Forti congeſtas arceq́; ſeruat opes:
Arripit hunc uicta gens Danica triſtior urbe,
  Dextra crudeles eiaculante globos:
At grauis Holſatiæ manus, indefeſſaq́; bello,
  Montis inexpertas tentat ubiq́; uias.
Carnibus, & cincti Dani ueſcuntur equinis,
  Atq́; fames coctos abſtulit atra canes.
Iamq́; fame domiti coguntur dedere montem,
  Et uicti placida ponere tela manu.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 69 [35,-56 8°]

Iamq́; tot impenſas,tot perdidit ardua bellum
    Pectora,tot clades utraq́; turba luit:
Impius & bello longos Mars abſtulit annos,
    Luridus & mortis terror ubiq́; fuit.
Danica iam poſcunt,iam Saxona caſtra quietem,
    Hanc feßi ciues,ruricolæq́; petunt.
Nec mora,turbatas pacis Dea reſpicit oras,
    Concuſſæ miſero quæ iacuêre metu.
Et Rex hæredes patrij pronunciat agri,
    Inq́; uocat fortes fœdera pacta Duces.
Vtraq́; iam magno ſe tollit terra triumpho,
    Ponit & hoſtiles pace refecta dolos.
Dumq́; potens regnis ultrò deceßit Ericus,
    Daniaci liquit ſceptraq́; magna ſoli:
Et Rex Chriſtopheri nomen qui mite gerebat
    Danica cum procerum ſceptra fauore,tulit:
Fœdera cum Ducibus nullo uiolanda labore
    Iecit,& his patrij reddidit arua ſoli:
Solenniq́; modo generoſum fecit Adolphum
    Pinguia Sleſuuitiæ qui regat arua,Ducem.
Decertata odijs,magnoq́; petita labore,
    Iam data ſunt Dominis integra regna ſuis.
Vda paludoſis ſe tollit Marchia terris,
    Nomine quæ ueteri dicta Badenſis erat:
Hac datur inſigni coniux de ſtirpe Gerhardo,
    Scandit & Holſaticum nobilis Anna thorũ:
Fœmina quæ ſtudijs,odijsq́; petita ſiniſtris,
    Rurſus adit patriæ dulcia rura ſuæ:

Hanc

Hanc reuocans carus præuentus morte maritus,
Ad patrios ſoſpes non redit ille lares:
Embria cæruleas qua Rheni conſpicit undas,
Sed triſti fato Dux pius urbe cadit.
Frater at in patris iam rure ſuperſtes Adolphus,
Exegit ſterilis tempora longa thori.
Huius erat Comitum claro de ſanguine coniux,
Qui Mansfeldenſem tollit in aſtra domum.
Rex ubi Chriſtopherus fatum ſine prole ſupremum
Soluit, & Eliſias tranſijt umbra plagas,
Detulit huic præſtans regni diadema ſenatus,
Vt regat ingenua Danica ſceptra fide.
Ille ſed euitans regnum, regniq́; labores,
In patrijs molli pace ſeneſcit agris:
At præſtans claris Comes Aldenburgius armis,
Qui pia de Chriſti nomina gente tulit.
Illius auſpitijs, dignoq́; fauore leuatus,
Accipit inſigni Danica ſceptra manu:
Scilicet è cara natus fuit ille ſorore,
Iuncta fuit thalamis quæ Thiterice tuis.
Ipſe carens cecidit ſeris hærede ſub annis,
Et patriam tetigit ſæua ruina domum:
Tum ſtirps Holſatiæ multos regnata per annos,
Sublato fatis hoc Duce prima cadit.
Sceptraq́; Daniacis iterum iunguntur habenis
Sleſuuitiæ, proprio, (mors iubet) orba Duce.
Tum quoq́; quod ſemper ſumptis animoſior armis
Reſpuit, imperio libera terra ſuo:

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 69 [35,-56 8°]

Fudit & innumerum, quæ nunquam feſſa, cruorē,
Ne ferat iniecta Danica frena manu.
Nunc tulit Holſatiæ Danis ſe iungere tellus,
Atq; ſequi ſtabili mutua ſceptra fide.
Sanguinis hæc uis eſt, & laus celeberrima Regis,
Cui procul amoto paruit illa metu.

FINIS LIBRI QVARTI.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 69 [35,-56 8°]

DE ORIGINE ET REBVS GESTIS REGVM DANIAE, ET DVCVM Holſatiæ, Comitumq́ Schouuenbergenſium.

LIBER QVINTVS.

In quo enarrantur illi Comites, qui poſt Gerhardum Cœcum, ſemper in terra Schouuenburgenſi permanſerunt.

GERHARDVS COGNOMENTO COECVS.

Comes Schouuenburgius à primo Adolpho de Salmgsleuen totius generis ordine decimus.

Spectat ubi celſos Arx Schouuenburgia montes
Qua ſtringit lepidis rura Viſurgis aquis:
Huc Comes Holſatijs longè ſeceßit ab oris,
Inclytus antiqui cœpit & arua ſoli:
Vda ſed inſidis quando Ditmerſia foßis,
Bella ſuo uictrix fratre gerente fuit:
Protinus Holſaticas tendit bellator ad urbes,
Et fratri robur ſignaq́; fida tulit.

Bellaq; legitimis ciuilia contudit armis,
Quæ fecit Dominis turba moleſta ſuis:
Cuius non merita nuper Ditmarſia fraude,
Intulit Holſatijs uulnera mille uiris:
Illa ſed ingentes collegit, pulſa, cohortes,
Impetit & Dominos Marte furente ſuos:
Tranſit & undoſæ frendens uada uaſta Bilenæ,
Prædaturq; tuos curua Trauena lacus:
Mox uarijs prædis, ſpolijs & onuſta receſcit,
Anteq; ſuſceptum flectere cœpit iter:
Aſt acie Comites obiecta fortiter hoſti,
Includunt nocuis agmina denſa uijs.
Rurſus & abreptis, animoſo pectore, prædis,
Vix fugit Holſaticas impia turba manus.
Inceditq; fera Ditmarſica prælia mente,
Auxiliatrices armat & enſe globos.
Hîc quoq; ſed Comites iuuit Mars, captaq; pœnas,
Turba dedit miſeris excruciata modis:
Autor & armorum crocitantes paſcere coruos,
Quatuor impoſitus cogitur ille rotis:
Turba ſed hic fatum, quæ diros fugit & enſes,
Te petijt trepido celſa Lubeca pede:
Hinc tibi ſed uiridis Varhneſidos accola ripæ,
Lis, & ſolliciti creuit origo mali:
Nempe receptari uictos à ciuibus hoſtes,
Impatiens nulla pertulit arte Comes:
Atq; ſuburbanos uictor deſeuit in agros,
Vrbis & affligit marte Gerhardus opes.

Exit in immenſum cœpti uiolentia belli,
Et quærit ſocias utraq; turba manus:
Donec Daniacis excellentiſsima terris
Gloria, reſtituit pacis Ericus opes:
Et Comitem poſitis Rex ingens mitigat armis,
Pactaq; concordes iungit in arcta manus.
Cæcus hic in multos cum uitam duxerat annos,
Et Comes optato lumine captus erat:
Rettulit hinc Comitis uulgo cognomina cæci,
Marte ſed excellens prima iuuenta fuit.
Iamq; Comes ſenior placido ſe dedidit æuo,
Qua pia ſepteno turre Lubeca iacet.
Clauſit & hic feſſam tranquillo fine ſenectam,
Grandæuum ſoboles luxit & ægra patrem.

GERHARDVS II. XI.

HIC etiam pectus ſtudijs formauit honeſtis,
Sequana Parrhiſij quà ſecat urbis opus.
Auſonio ſummos & præſule cœpit honores,
Præpoſitus ſacris celſa Lubeca tuis.
Gloria ſed patriæ ne concidat ardua ſtirpis,
Fratribus iniecit dum fera Parca manus:
Coniugium ſubito ſacris petit ille relictis,
Inq; maritali flagrat amore Comes.
Et gnatum genuit tribuit cui gratia nomen,
Et uoto felix utitur ille ſuo.
Hic in Stormaria patrijs ſucceſsit habenis,
Marteq; Daniacam debilitauit humum.

Viribus

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 69 [35,-56 8°]

Viribus & iunctis patruelia bella ſecutus,
Iuit in aduerſas enſe micante manus.
Ille ſed in primis dum fato concidit annis,
Non aliquo patrem germine fecit auum.

ADOLPHVS EIVS NOMINIS V. XII.

EXoſus rigidi crudelia uulnera belli,
Tutior in patrijs ille latebat agris.
Quà fluit & uitreus lapidoſa mole Viſurgis
Rinteliæ nitidas præterit urbis opes.
Nec conſanguineos ſuſceptis iuuit in armis,
Holſatiæ cultum qui tenuêre ſolum.
Qui tum finitimos uix æquis uiribus hoſtes,
Sæpe cruentata ſuſtinuêre manu.
Inter at hic placidæ iucunda ſilentia pacis,
Egit inoffenſos & ſine lite dies.
Huius erant gemini, quos mors tulit improba, fratres,
Et citò telluri condit acerba quies.
Hic ubi uirginibus ſacra ſtat ueſtalibus ædes,
Horum Rinteliæ molliter oſſa cubant.

ADOLPHVS VI. XIII.

COntentus placidè prope culta fluenta Viſurgis,
Hic patris tenuit rura beata ſui.
Donec Ioannes, qui VVagrica cæperat arma
Dictus & haud falſo nomine Largus erat:
Prælia magnanimo fecit ueſana Gerhardo,
Qui belli Magnus dexteritate fuit:

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 69 [35,-56 8°]

Tum conſanguineum longinquis aduocat oris,
    Illius & iunctis uiribus optat opem:
Irruit armipotens, & traijcit Albis Adolphus
    Littus, & Holſaticos milite preßit agros.
Qua iacet, ac humiles abſcondit ſyluá myricas,
    Notáq; Brambſtadium nomina uicus habet:
Obuius hic illi, fortunatusq́; Gerhardus,
    Fortiter aggreditur flebile Martis opus.
Pugnaturq́; diu, paribus ſublatáq; pennis
    Alea, Gradiui diſtulit arma patris:
Donec magnanimo uictoria læta Gerhardo
    Fauit, & aduerſi ſuccubuêre globi.
Pons erat, & tecto ſub ponte latebat Adolphus,
    Victrices celeri dum fugit arte manus.
Proditus, & latebris diro protractus ab hoſte,
    Quæ tulerat gladios dexter, auincla tulit.
Aëre ſuo liber patrias ſeceßit ad urbes,
    Damnauitq; truci bella gerenda manu.
Huius erant fratres: inſignis præſul Ericus,
    Et noua VVeſtphalici fama Gerhardus agri.
Namq; ubi uirgineis florent Valdorpia tectis,
    Hîc egit molles, ſorte fauente, dies.
Cum conſanguineo ſed triſtia bella Gerhardo
    Hic in Ditmarſos, pectora dura, tulit:
Triſtis ubi caſus ſtygijs duo millia campis,
    Intulit hoſtili pectora cæſa manu:
Primus & hic Comitũ, quos Schouuenburgia tel=
    Iactat, & antiquos collocat inter auos. (lus

Prome=

Promeruit ſacros Meidenſis præſul honores,
Quos bis tres annos cœpit,& occubuit.
Gignit ubi largas urbs Hildeshemia meſſes,
Inſignis præſul frater Ericus erat.
Obſtitit huic,longo,Dux qui Brunſuuigia,bello
Sceptra tulit,miris intumuitq; malis.
Vicinæ magnis cocunt & uiribus urbes,
Triſtia proq; ſuo præſule bella gerunt.
Hinc Bruſchuuiga ferox,hinc Hildeshemia bellum
Miſcet,& immenſis ſtragibus arua replet.
Bis ſex,iam,calido multum ſudante ſub æſtu
Agricola,meſſes & cecidêre duæ.
Vtraq; profuſo cum nondum ſanguine tellus,
Sepoſuit placida triſtia bella manu.
Me miſernm,quantis coierunt uiribus urbes,
Dum ſanguis roſeos tinxit,ut amnis, agros:
Sed tandem ſæuos mors atra miſerta labores,
Te petit audaci Præſul Erice manu:
Qui niſi præuentus crudeli morte fuiſſes,
Luxiſſet triſtes Saxonis ora uices.
Vrbs quia pro caro cupidé dum Præſule pugnat,
Euertiſſet opes Dux uiolente tuas.

OTHO I. XIIII.

Qvatuor occiderăt fatali numine fratres,
Solus hic in patrio rure ſuperſtes erat:
Et primum VVagricus cum fato ceßit Adolphus,
Liquit & in patria pignora nulla domo.

Proximus

Proximus extincto certis hic legibus hæres,
Cæpiſſet VVagrici ſceptra uerenda ſoli:
Hunc ſed Nicolaus precibus placauit,& ære,
Et patrium VVagrici ius Otho uendit agri.
Tres quoq; præſtantes cum uillis accipit arces,
Quas rigat incuruis Albidos unda uadis:
Nobile Bremſtadium,ſic Pinnebergia ſumptu
Prodiga,collectis uiribus,ære potens:
Nobilis illius ſic Hadesburgia ſceptris
Subditur,imperio paret & illa nouo.
Vicit & effrenem, quem Luneburgica, Magnum,
Eiecit tectis urbs generoſa ſuis:
Plurima Teutonicas hic impia bella per urbes
Geßit,trux oculis,ore,manuq; minax.
Omnibus inuiſus diris & ſæuijt armis,
Incuſtoditos depopulatus agros:
Hac quoq; iurarat,qua luce petiuit Othonem,
Hoſtis uiſurum ſe fera rura ſui:
Verba notat Nemeſis ſeratis illa tabellis,
Et firmam dictis præſtitit eſſe fidem:
Scilicet hoſtiles hac luce peremptus ad arces
Ducitur,ac hoſtis mortuus arua premit.
Felix,qui moriens periuro crimine felix,
Acceßit ſtygias Dux animoſus aquas.
Iuratamq; fidem ſanctè ſeruare coactus,
Quis putet? inuito cogitur eſſe probus.
Demens,qui dubijs potuit ſpem ponere uotis,
Succeſſum ſummo ſæpe negante Deo.

Ingruit

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 69 [35,-56 8°]

Ingruit horriſonum ſubitis ceu fluctibus æquor,
Quod ſtetit, & nullos ſenſerat ante Notos,
Sic furit infidis ſors inſperata procellis,
Illi cede graui pectore, fide nihil.

ADOLPHVS VII. XV.

REx quẽ præclarũ Pomerania iactat alumnũ,
Regibus & iungit Dania magna tuis:
Marte Duces teneros cum pellere tentat Ericus,
Milite Sleſuuitias uaſtat & acer opes:
Accelerat patrijs accitus Adolphus ab oris,
Et conſanguineos adſerit enſe Duces.
Mæſtaq; Germanis te laſſat lutia ſignis,
Euertitq; graui Danica caſtra fuga.
Cumq; uiris pecudes rapuit, uictorq; repelles
Strenua terribili perdidit enſe manus.
Præſul Ioannes cum Danica caſtra ſecutus,
Fudit cælicolis irrita uota Deis.
Scilicet augurium crebro ſpes optima fallit,
Obſtat & optatis ſors inimica bonis.
Huius erat præſtans uiridi Guihelmus in æuo,
Frater ad Eliſios qui uolitauitagros.

OTHO II. XVI.

DVx quoq; Sleſuuitiæ fama præclarus Adolphus,
Extremũ clauſit cum ſine prole diẽ.
Hic etiam iuſta potuit ſuccedere lege,
Et Comes Holſatici ſceptra tenere ſoli.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 69 [35,-56 8°]

Ille ſuum ſumpto ſed ius quoq́; uendidit ære,
Hæres Holſaticos cæpit & alter agros.
Primus is æquoreis Rex florentiſsimus oris,
De grege Chriſticolæ nomen adeptus erat.
Quo duce ſemoto coijt gens utraq́; bello,
Et coluit Regis iuſſa ſeuera ſui:
Sed te præteritis ſtirps Schouuenburgia ſeclis
Quid toties patrios uendere fecit agros?
Quod niſi feciſſes, patrij ditiſsima ruris,
Et latè ſæuo Marte timenda fores.
Qui ſapit, attenuat patrias non indigus oras,
Hæc nimis inſero damna nepote luit.
Sed multa ſobole Dea fauſta beatur Othonem,
Quæ matres preſſo pondere grata leuat.
Largaq́; cum cari præcepit gaudia lecti,
Legitimus natos legibus octo tulit.
Quin etiam genuit, quarum pulcherrima, natas
Luneburga tui fit pia nupta Ducis.
Hic Bernhardus erat, Friderici gloria patris,
Solamenq́; pij præſidiumq́; ſenis.

IOANNES XVII.

Illius genitor patriæ præconia gentis,
Extulit & caros prole uigente lares.
Attamen ante diem diris pars maxima fatis
Concidit, Eliſijs excipienda plagis.
Et pius Erneſtus, ſacrosq́; Henricus honores,
Promeruit meritis Præſul uterq́; ſuis.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 69 [35,-56 8°]

Legerat hunc ſacris urbs Hildeshemia ſceptris,
Illum Pontificem Minda uenuſta tulit.
Fama tacet reliquos (fecit mors improba) fratres,
Et ſine Pierijs texit iniqua ſonis.
Solus Ioannes octauus in ordine frater,
Suſcepta uacuos prole refecit agros.
Hectoras hic dextra, ratione æquauit Vlyſſem,
Ac indefeſſo robore dexter erat.
Prælia ſuſtinuit mananti quinq; cruore,
Et fuſo ſaluum rettulit hoſte pedem.
Illius & coniux agros generoſa paternos
Auxit, ab illuſtri ſanguine nata domo.
Hinc nunc Gemmitium ſtirps Schouuenburgia no=
Cumq; ſuis titulis debita rura capit. (men,
At licet inuictis Ioannes uicerit armis,
Ardua ſæpe domi prælia, ſæpe foris.
Attamen ignarus, ſumptis & inutilis armis,
Truncus iners, heluo, belua dira, ſtipes.
Illi Minda tuus bellum durabile Præſul
Infert, & placidos enſe moleſtat agros.
Hic erat Hoiorum Comitum de ſanguine cretus,
Albertus patriæ fama ſiniſtra ſuæ.
Impia propoſuit qui iuſtis ocia curis,
Et niſi quod potuit, luxrioſus erat:
Hoc quoq; qui propter claro ſe ſanguine natum
Dixit; ut effuſas dilapidaret opes.
Ille tamen luxus inter, moresq; pudenſos
Auſus erat molli ſumere bella manu.

Et

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 69 [35,-56 8°]

Et Comiti forti, quo Schouuenburgia tellus,
Euicit caſus uindice tuta graues.
Aſpera collatis indixit prælia ſignis,
Diraq́; uicinos traxit in arma Duces:
His piger impoſuit capti crudelia belli
Munera, conceſſas illic uorabat opes.
Damna laceßiti cum plurima ſenſerat hoſtis,
Dulcia quæſitæ fœdera pacis init.
Forte ſed indignus diuinæ munere pacis,
Illum per ſtygias mors citò uexit aquas.
Sit procul ô ſumptis potuit qui mollis in armis,
Ocia cum luxu deſidioſa ſequi.
Sobrietas, cautumq́; decet prudentia bellum,
Et curæ uigiles, ſollicitiq́; doli.
His ſine qui dubio potuit ſe credere Marti,
Sæpe luit culpæ debita damna ſuæ.

IODOCVS XVIII.

HIC quoq́; Pierijs tribuit quot nomine Diuis,
Hellidos ad Latios Muſa profecta lares,
Tot peperit gnatos, pereuntis ſtemmaq́; gentis,
Reſtituit patrijs ille quietus agris.
Atq́; cruentatis nuſquam ſe miſcuit armis,
Bella licet patrios uiderit ante fores.
Arripiunt illi dulces non claßica ſomnos,
Nec quæuis dubios incutit hora metus.
Ter felix iſta ſenior uirtute Iodocus,
Cui lis, nec cordi martia cura fuit.

Nec læſus rigida ferrugine protulit enſes,
Geſtauit ſæua ſcuta nec ulla manu.
Tempora ſed ſoboli belli ſine lite creandæ
Contulit, abiecto conſenuitq́; metu.
Quodq́; fuit pacis tranquillo pectore cultor,
Iam Comes æternæ tempora pacis agit.

HENRICVS IODOCI FILIVS COMES XIX.

IMpiger Henricus crudelibus occidit armis,
Duxit ut in Latias Teutona ſigna plagas.
Henricoq́; Duci, quo ſe Brunſuuigia tellus
Iactat, & armigerum tollit in aſtra ſenem,
Efferus huic primis belli Comes ibat in annis,
Fortis & in prima marte phalange fuit.
Magnus erat bello, maior bellando futurus,
Inuidet at magnis parca maligna uiris.

ADOLPHVS VIII. IODOCI FILIus *ſacri Romani imperij Elector, & Archi-Epiſcopus Colonienſis, qui obijt Anno 1556.* XX.

HOc ego magnarum non motus pondere rerũ,
Cum forti cæpi pectore nuper opus:
O liceat, dixi, cæpto ſudare labori,
Dum Præſul referam temporis acta tui.
Intereà Lacheſin ſtructas uenerabar ad aras,
Illa tuos annos proferat, illa meos.

Et

Et iam digna tuæ meditabar carmina laudi,
Feſſaq́; *ſupremum* Muſa *mouebat opus:*
Cum mea uota feræ contemnunt irrita parcæ,
Morsq́; *tibi duras inijcit atra manus.*
Ergone crudeli rapiet mors omnia falce?
Sic *heu ſic humiles ſpernet iniqua preces.*
Ergo iaces generoſe Comes, ſanctiſsime præſul,
Quo *uiguit patriæ gloria tuta tuæ.*
Ergo iaces, generiq́; tuo, ſceptrisq́; relictis
Mœror, & *in longos mœſta querela dies.*
Nec tua te pietas ſummo digniſsima cœlo,
Nec *iuuit patriæ relligionis amor.*
Non minus, at diris quid plorans imprecer aſtris?
Quid *tibi? mors ſummis ſemper acerba uiris?*
Concidis, & patriæ triſtes, heu, linquis habenas,
Te *ſine quæ curis obruta penè iacet.*
Concidis, ô dubijs tua cum prudentia rebus
Sæpe *requiſitam ſuppeditaret opem.*
In te fixa fuit patriæ ſpes maxima terræ,
Nunc *ô nunc uoti ſumma caputq́; iaces.*
Heu rigidæ leges, & dura potentia fati,
Perpetuum *ſinitis quam nihil eſſe diu.*
Sic cadit ah miſero multum defleta Colono,
Læſa *uel à nymbis, grandine ſiue ſeges.*
Occidis imperij decus, & tutela ruentis,
Claudicat *hoc, & uix, quo releuetur, habet:*
Ne foret Elector ſacros qui ſeruet honores,
Imperio *curis ſubueniatq́; pijs.*

Ne ſoret aut patrijs præſul uenerabilis oris,
Tutor, & ô miſeri cura ſuprema gregis.
At quoniam placuit ſuperis utcunq; feremus
Mutari nulla quod ratione poteſt:
Et te magne Comes ſuprema morte peremptum,
Aeternis triſtes flebimus exeqnijs.

ANTHONIVS IODOCI FILIVS ſacri Romani Imperij Elector, Et Archiepiſcopus Colonicenſis, in locum defuncti fratris iterum aſſumptus XXI.

Moeſtus eram, lachrumasq; dedi, fatūq; ſeuerū
Incuſans, tumulo dona ſuprema tuli:
Et te magne Comes crudeli funere raptum,
Defleui medio ſole uidente die.
Fleuimus & noctu, lachrymarum conſcia luna
Cum uidit madidas, imbre cadente, genas.
Atq; ita: nnuc ô magne uale, uale optime Præſul,
Aeternus generis ſplendor Adolphe tui:
Heu mihi quam triſti nos linquis funere, mecum
Quis non hoc poterit tempore flere? fleo.
Sæpius hæc geminans uirides ſpaciabar ad undas,
Quas per Marchiacos Odera torquet agros:
Cum cito fama uolans uatem miſerata gementem,
Detulit hos gratos, aure ſonante, ſonos:
Parce pijs lachrymis, en lætæ nuncia ſortis,
Aetherea uenio diua profecta domo.
Quem ploras Comitem, ſupremo funere raptum,
Iam nouus æthera Diuus in arce ſedet:

Ille quidem cecidit,ſed non mors abſtulit omne,
Stirpis,qua clarè prodijt ille,decus:
Reſtat & excellens patrijs Anthonius orbis,
Altera ſpes patrij dignaq́; fama ſoli:
Fratris & in ſimili ſucceßit frater honore,
Et ſtirps auſpitijs creuit auita nouis.
Præſule quo rurſum generoſa Colonia fœlix,
Vulnus,& heu ſortis damna priora leuat.
Electore potens,quo rurſum Teutona tellus,
Antiquum fauſto tollet honore decus.
Naufragij hic tabulas,miſeræ proiectaq́; terræ
Sceptra ſubit,laceras & modo puppis opes.
Sic ait,& fugiens tenues diuerberat auras,
Et uolat in uarias nuncia fama plagas.
Et mihi læta graues adimunt præſagia luctus,
Lætaq́; de dextra uiſa uolauit auis:
At tibi clare Comes meritum gratamur honorem,
Comprecor & ſceptris omnia fauſta tuis.
Te decus,& patriæ ſtirps florentißima gentis,
Virtutisq́; manet te pia fama tuæ:
Claraq́; non aliqua corrupta modeſtia labe,
Inter honoratos te tulit illa uiros:
Addidit & meritos,quibus es decoratus,honores,
Accepitq́; nouum Teutonis ora decus.
Quæ tibi ſeptemur gemebundo ſupplicat ore,
Fataq́; fortuniæ te meliora petit.
At te cum uirtus præclaris extulit auſis,
Cum laus & generi conuenit alta tuæ:

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 69 [35,-56 8°]

Et te cum decorent diuinæ moribus artes,
Quas ingens ſumma Præſul honore colis:
Te non degenerem Germania laudibus iſtis,
Sentiet, huic auide quod petit ipſa, feres.
Atq; tui generis clarus ceu ſplendor Adolphus,
Eius qui quondam nominis alter erat:
Irruit aduerſos Chriſti uiolenter in hoſtes,
Subdidit & uero millia multa Deo:
Tu quoq; ſic ſumptis uinces animoſior armis,
Tempore quos noſtro triſtis Erinnys agit.
Sic tibi, mors fratri quod triſtis ademit Adolpho,
Ante diem patrios & ſpoliauit agros:
Addat, & ô longis illæſum ſeruet in annis,
Nilq; mali tua, te, terra, uigente, ferat.

IOANNES IODOCI FILIVS XXII.

QVa iacet inuictis arx Buckenburgia mu-
Hic agit in patrio mollia fata ſolo. (ris,
Ac inſana tuos plorat Germania motus,
Ciuili quoties prælia Marte geris.
Comis, & immeritis faſtu non aſper amicis,
Inuidia ſtudio conueniente caret.

OTHO III. IODOCI FILIVS XXIII.

EST uetus, & largis illuſtris Hagonia cāpis,
Vrbs iacet in patria bellice Saxo tua:
Hæc tenet à ſeptem præſtantia nomina pagis,
Antiquum generis ſeruat & illa decus:

Scilicet

Scilicet has terras primo qui cœpit, Adolphus,
Inclytus inſigni nomine dictus erat:
Hinc urbs dicta fuit cognomine pagus Adolphi,
Ruſticus & priſco tempore pagus erat:
At nunc in pulchram fatis felicibus urbem,
Creuit & ex humili, laude decente, loco.
Cumq́; ſuis uigeant immenſæ laudibus urbes,
Dotibus & creſcat quælibet ampla ſuis.
Illa uel inſignes iuxta ſua mœnia uites,
Vel largæ Cereris dona beata ferat:
Eximia morum uel conſuetudine felix,
Iuditio, uictu, relligione, fide:
Has inter proprias & cæpit Hagonia laudes,
Extremum penitus nec tenet illa locum.
Multaq́; non paruo produxit pignora fructu,
Ingenio claros progenuitq́; uiros.
Altius extantes mortali munere uates,
Fulit & Aonio pectora digna choro.
Aemulus Orpheæ uates Holtorpius artis,
Quos inter Phœbi munere nomen habet.
Hic olim meritas patriæ ſi dicere laudes
Tentabit, toto nomen in orbe feret.
At nos, hanc urbem pulchræ qui ſumptibus arcis,
Et patriæ decoras ſplendida rura tuæ:
Clare Comes noſtris (rerum iubet ordo) camœnis,
Pro meritis canimus carmina pauca tuis.
Te decus, illuſtri uirtus & ſanguine nata
Rite docet patriæ conſuluiſſe tuæ.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 69 [35,-56 8°]

Te uis, & magnæ decorat ſolertia mentis,
Vincis & arbitrio tempora noſtra graui.
Scilicet imperium meritis & amore ligari,
Artibus & cultis ſubdita corda regi.
Nil etiam noſti poſt ultima fata relinqui,
Quam quæ de merita gloria laude uenit.
Quis te clare Comes non his uirtutibus auctum
Diligat ? & ſtudio liberiore canat ?
Sic felix, tua ſit felix te ſoſpite proles,
Pignora progeniei digna datura tuæ.
Illa quidem claro prognatam ſanguine matrem,
Perdidit è tenero morte iubente ſinu:
Et flentem ſocerum dudum Pomerania uidit,
Et gemuit curis patria mœſta tuis.
Te uero ſuperi ſimili lugere dolore,
Et caueant caſus fata ſeuera graues.
Et cum longa ſenex ductæ ueſtigia uitæ
Pones, ad ſuperos ter uenerandus eas.

IODOCVS IODOCI FILIVS XXIIII.

Siue procul patriæ bellum de finibus oræ,
Aetatis medio flore Iodoce, geris.
Commiſſis ſignis ualidos & tendis in hoſtes,
Martis & oſtendis prælia fauſta tui:
Siue, quod haud credo, patriæ felicia terræ
Rura, tuo pulſo pectore Marte, colis,
Dij tibi ſucceſſus fatis dent mitibus æquos,
Et tribuant dextræ robora larga tuæ.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 69 [35,-56 8°]

Quicquid agis certè, nullis ignobile rebus,
Martia (ſi noui) dextera tentat opus.
Duraq; ſub prima geßiſti bella iuuenta,
Aſpera ſors quanquam, nec ſatis æqua fuit:
Arx gemuit captum diri cum clara Draconis,
Voluit ubi plenas piſce Viſurgis aquas.

GVILIELMVS, ERICVS, ER=NESTVS IODOCI FILII. XXV. XXVI. XXVII.

ADdictus ſacris tenero cum fratribus æuo,
Exceßis patrijs & Guilielmus agris.
Præcipitiq; pater qua labens gurgite Rhenus,
Coniuge de Druſi mœnia dicta rigat:
Diuinas haurit ſacris cum moribus artes,
Tollit & ingenuis pectora celſa bonis.
Dij faciant patrias olim fœliciter oras,
Erigat & laceras relligionis opes.
Nec dubito: patriæ ſemper uis inſita ſtirpi,
Augebit uires fortior illa ſuas.
Nulla modo dubij fiat mutatio caſus,
Et firmam ſeruent aſtra benigna fidem.
Prima nec immenſis ætas exercita curis,
Ferre ſenectutis grande recuſet onus.

FINIS.

AD

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 69 [35,-56 8°]

AD IOANNEM BOCERVM ELEGIA L. IOANNIS CODICII.

ASpicit ut pictor tabulas ignauus Apollis,
Euehit & tactæ laudibus artis opus:
Nec tamen audet idem dextra tentare magiſtra,
Se quia diſsimilem conſcius eſſe uidet:
Sic ego ſepoſitis qui dudum langueo plectris,
Dum lacerat nauem fluctus & aura meam:
Pieriæ fatis cogentibus immemor artis,
Inuitus Clarij deſero templa Dei.
Fingere dulce piget carmen, nec ut ante ſolebam,
Laudati cupio uatis habere decus,
Vel quia nunc caſtis deſunt ſua præmia Muſis,
Vel quia ſucceſsit res minus iſta mihi.
Res minus iſta mihi ſuccedit, perfidus obſtat
Liuor, is eſt ſortis peſtis auara meæ.
Naufragij prædas inſana fraude capeſcit,
Quo mea per tumidas uita laborat aquas.
Ne tamen interea penitus ſolatia deſint,
Efficis ingenio, clare Bocere, tuo.
Intueor præclara tuæ monumenta Camœnæ,
Eſt tibi perpetuum quæ paritura decus.
Hac uelut in tabula refocillo pectus, Apellis,
Nec mihi ſpes largi fœnoris omnis abeſt.
Siue lego molles Elegos (nil gratius illis)
Quos tibi dictauit Suada lepore graui:

Siue lego claræ præconia, laudibus urbis,
Monte metallifero quæ celebrata uiget:
Siue lego ueteres Herulos, Comitesq́;, Ducesq́;,
In clypeo nigri qui bouis ora ferunt.
Quos tua Naſonis cantauit arundine Clio,
Fecit & è tenebris lucis adire iubar:
Siue lego quodcunq́; canis modulamine dulci,
Miror opus Muſæ magne Poëta tuæ.
Cauſſa patet: ſuaui miſces graue, lenia forti,
Lata breui, læto ſeria, grande leui:
Et bene temperie miranda ſingula iungis,
Vt iurem tales fundit Apollo modos.
Nec mea ſic fruſtra teneras uox uerberat auras,
Aſſerit hoc, quiſquis carmina docta probat.
Aſſerit hoc Phœbus, multis è millibus uni,
Qui tibi facundam iuſsit adeſſe chelin.
Aſſurgunt faciles tibi fauſto numine Muſæ,
Iamne negor, uates inclyte, uera loqui?
Non ita ros herbis gratus, cum Sirius ardet,
Non cythiſum carpit ſima capella magis:
Non ita delectat nos blandi ſibilus Auſtri,
Cum remouet ſolem frondibus umbra ſuis:
Vt mihi depellit curas tua ſcripta legenti,
Et releuat durum gratia mira iugum.
Vt mihi grata tui ueniunt modulamina plectri,
Delitiumq́; mei pectoris inde fero.
Tam mihi laſſa redit uigor in præcordia firmus,
Ceſſat & ex omni parte doloris onus.

Nec

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 69 [35,-56 8°]

Nec tamen es ſoli mihi tantæ cauſſa ſalutis,
Hac ouibus placidos efficis arte lupos.
Saxa trahis, tygres placas, uaga flumina ſiſtis,
Voce moues ſyluas: omnia uoce moues.
Te Rhenus puerum cantantem nobile carmen,
Audijt & liquidis VVerda ſenilis aquis.
Te cantante fuit medijs miratus in undis,
Qui Philyræ magnas ſpectat Eliſter opes.
Cum caneres, lentis procedens fluctibus Albis,
Eſt tibi gratatus munere ſæpe leui.
Te laudat uitreo pulcherrimus amne Viſurgis,
Dulcia qui patriæ ſeparat arua tuæ.
Qui procul Heßiaci montis radicibus ortus,
Gaudet ad occiduas pronius ire plagas.
Sæpius hic imis fidum caput extulit antris,
Vocis ut audiret uerba canora tuæ:
Cumq; ſacro flatu correptus forte fuiſſet,
(Numina ſunt fluuijs) uaticinatus ait.
Creſce Bocere mihi, patriæ laus maxima terræ,
In decus eximium, creſce Bocere mihi.
Si qua fides Proteo, qui uates æquoris alti
Maximus, æterno carmine uiuus eris.
Tu patriam ſummis implebis laudibus arcem,
Qui ſunt montanæ nomina clara domus.
Huic eris inuictis radijs memorabile lumen,
Nec, tibi ſe ſimilem qui fateatur, erit.
Dixerat: extremum ciet alueus ipſe ſuſurrum,
Approbat euentum numinis unda ſui.

Te quoq; Vernonius lymphis uocalibus ornat.
Quando ſui celebras inclyta geſta Ducis.
Te ſibi cantantem Thrauus effert, arua pererrans
Vandala, qui tacite Balthica ſtagna ſubit.
Quid referam quoties te ſacra uoce diſertum,
Suſcepit placidis Thetys amica uadis?
Te uidit gelidis Triton cantare procellis,
Rauciſonam puduit quem tenuiſſe tubam.
Nereides talem uenerantes rite Poëtam,
Fecerunt Zephyris mitius ire fretum.
Tunc ubi mulcebas Neptunum, uerus Arion
Delphini poteras pondus adeſſe nouum.
Te canet Oceanus, te ſaxa loquentur, & aër,
Notus eris terris, notus eriſq; polo.
Iam quoq; dum Viadri ripas concentibus imples,
Cuius Apollineas Pægaſus auget aquas.
Fama tibi creſcit nullis abolenda diebus,
Et tuo diuino carmine Muſa placet.
Hic tua pura fides quam ſit mihi ſæpe probata,
Dum tepido ueri frigida ceßit hyems,
Non leuiter potero numeris includere certis,
Tam uincit meriti copia plena tui.
Non tibi fucus ineſt, fidos decet eſſe poëtas,
O te quam niueo pectore candor habet.
Tu mihi belligeræ ceu uictrix uirginis AEgis,
Tu mihi commotis anchora firma uadis.
Tu recreas dulci mea corda poemate, uates
Optime, tu lepidæ me trahis arte lyræ.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 69 [35,-56 8°]

Ergo quod omnino ſacris non fontibus abſum,
E quibus Aonidum candida turba bibit.
Ipſe quod interdum curis exemptus iniquis,
Euolui manibus dulce poëma meis.
Tu facis, illæſa qui me pietate colebas,
Nec graue, quod coleres me, tibi pondus erã.
Tu me triſticia conſolabare iacentem,
Paſcebas animi nectare ſenſa mei.
Nam quoties mœſta ſub conditione dolebam,
Succeßi laribus, docte Bocere, tuis.
Hîc adeo cupidus tua carmina culta legebam,
Vt penitus nuſquam nubila cura foret.
Præcipuè tunc letus eram ſub mente ſerena,
Inclyta ſcripta mihi cum recitanda dares:
In quibus ipſe canis præſtantum nomina Regum.
Quos tulit Arctoo Dania clauſa mari:
Quod niſi fatidici fallunt oracula Phœbi,
Hoc opus æternæ nobile laudis erit.
Sydera dum current, dum ſtabit in aëre tellus,
Nec cadet in nigrum machina fracta chaos.
Laus tua, laus operis tanti durabit in æuum,
Vatibus ô reliquis grande Bocere decus.
Muſa ſibyllinis folijs inſcribere iußit,
Hic uates operis, uatis opusq; manet.
Currite nunc Elegi, celeri pede currite uecti,
Imparibus quamuis greßibus obſtet iter.
Munia facundo referamus digna Bocero,
Cuius inexhauſto carmina fonte fluunt.

Si uacat Aonides, nec uos res ulla moratur?
  Nunc Elegis comites, quod precor, eſte meis.
Seu uos in uiridi retinent Helicone receſſus,
  Sertaq; formoſis nectitis alma comis:
Seu de Pægaſea ſcaturigine ſumitis undas,
  Spiritus accedat uatibus unde nouus:
Eſte mihi faciles, cupimus placuiſſe Bocero,
  Nobile qui ueſtra nomen ab arte tulit.
Vos ipſum gremio primis fouiſtis ab annis,
  Cum petijt miles culmina ueſtra tener.
Quando Parnaſſi lucos intrauit amœnos,
  Mollis ubi pulchras fers Hiacynthe comas.
Accepit uegetæ munuſcula ſplendida Lauri,
  Atq; Poëtarum cœpit ineſſe choro:
Vos ipſi uitreis ſparſiſtis tempora lymphis,
  Cymbia quas uates hauſerat ante tuus.
Hinc canit Heroum laudes, & prælia Regum,
  Mollibus & numeris quod modulatur opus.
At tibi quanta feram meritæ præconia palmæ,
  Quam uictor celebri fronte Bocere geris?
Tu non uana canis, non Muſis degener erras,
  Inquinat ut latices plurima turba ſacros.
Tu duce Calliope facis oblectabile carmen,
  Quod nec iners liuor uituperare queat.
Seu tumidis uerbis inſurgere poſtulat uſus,
  Seu cupit, ut ſtudeas ſerpere pronus humi:
Sic utrumq; facis, ne copia fertilis abſit,
  Qualis honoratis uerſibus eſſe ſolet.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 69 [35,-56 8°]

Vatibus ó multum uulgaribus altius exis,
Pægaſeas alas ut reor eſſe tibi.
Seu reputo flores, quos inſeris ordine iuſto,
Clara reluceſcunt uerſibus aſtra tuis.
Seu ueneror numeros, quos leni murmure iungis,
Carmina mellifluo blanda lepôre ſonant.
Gratia tanta tuis illuſtrat amabile ſcriptis
Sydus: ut amota lux noua nube redit.
De reliquis taceo, decet hic me uera fateri,
Qualia de Danis, iam monumenta, canis:
Regibus antiquis reuocas uenerabile lumen,
Qui prius ignotis delituêre locis.
Quos non indignæ ſub eodem cardine nôrant,
Et quorum penitus fama ſepulta fuit.
Sicut ab obſcuro per te Phlegethonte reducti,
Luce renaſcentes iam ſuper aſtra uolant.
Quos non poſteritas ullo cognoſſet in æuo,
Viuunt, atq; tuo carmine nomen habent.
Nomen habent, donec uolucer uoluetur olympus:
Quos alias tenebris occuluiſſet humus.
Magna quot Arctos habet ſtellas, q; Pægaſus alas,
Et tua quot gemmas Bache corona tenet.
Quot liquidas geſtant in cribro Belides undas,
Quotq; uenenoſus Cerberus ora mouet,
Quot ſunt Theſpiades, unam ſi Pallada iungas,
Tot Reges celebras uerſibus ipſe tuis.
Cuilibet & propriæ confers encomia laudis,
Cuiq; ſuus raptus ne uideatur honos.

Quod ſi ſenſus ineſt ſub opaco Manibus orco,
  Regalis grates iam feret umbra tibi.
Vt taceam plures, quod ueris laudibus addis,
  Materia generi conueniente ſuo:
Holſatiæ Comites ſublimi carmine iungis,
  Et qui Sleſuitiæ ſceptra tulere domus.
At quod præcipuè decus indelebile duco,
  Extollis patriæ digna trophæa tuæ,
Nomen ab illuſtri, titulis illuſtribus, arce
  Ducentes Comites, laude ſonante, uehis:
Quorum celſa iacet ſedes ad ſtagna Viſurgis,
  Quà medijs flexas uallibus arctat aquas.
Quà ſibi Saxonici ſpacioſo limite fines,
  Vueſtphaliæ pinguis rura propinqua uident:
Hicubi Vare tuas proſtrauit Marte phalanges,
  Arminius patriæ murus, honorq́; ſuæ.
Scilicet Auſonijs quando progreſſus ab oris,
  Milite compleres Teutona rura tuo:
Et cuperes ualidi tibi ſubdere cornua Rheni,
  Vinceret ut rerum Roma ſuperba caput.
Iam tua diuinus præcordia Spiritus iurat.
  Has ut uirtutes, culte Bocere, canas.
Iam memoranda tuo ſurgunt in carmine facta,
  Vt cum materia nos ueneremur opus.
Audiat hæc tellus, hæc maximus audiat æther,
  Nec bibulis pereant irrita uerba Notis,
Hoc pia poſteritas admiratura uolumen,
  Sæpe tibi grates, diue Poëta, feret.

Sæpe tibi laudes animis audentibus addet.
Qui non in tenebris tanta latere ſinis.
Qui plus de patriæ meritus uirtute fuiſti,
Quam ſi ſanguineo prælia marte geras,
At quicunq; leges hæc docti carmina uatis,
(Egregius pariet tædia nulla liber)
Ne dubites magnum uigil impendiſſe laborem,
Præclaras operæ cura recludet opes :
Plurima conſpicies annalibus eruta priſcis,
Hactenus à nullo quæ tibi dicta ſcies.
Quæ ſub hyperboreo ſunt olim ſydere facta,
Hæc modo contingunt ſolis utraſq; plagas.
Hiſtoriæ ſeries noſtris ignota ſub annis,
Hic penitus fulget lumine compta nouo.
Quot Reges habuit fortiſsima Dania, cernes,
Quæ iacet in medio non ſuperanda freto.
Hic animum poteris ſæuis ſubducere damnis,
Dum datur exemplis triſte cauere malum.
Euentus uarios Regum, claroſq; triumphos,
Sæpe triumphali bella peracta manu.
Fata, necem, fraudes, conuitia, tormina, cædes,
Suppeditat ueris Muſa diſerta typis.
Ante Dei natam quo tempore Dania prolem
Cœperit Imperij tollere ſceptra ſui.
Auxerit illius quis fido milite robur,
Poſsit ut inuicta plenior eſſe manu.
Fortis in externos quæ prælia mouerit hoſtes,
Alterius gemeret ne male preſſa iugo.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 69 [35,-56 8°]

Quæ fuerit mœſtis aliquando cauſa periclis,
Fleret ut in regno triſtia fata ſuo.
In ſua ſæuierit ualidis cur uiſcera dextris,
Damna ubi ciuili ſeditione tulit.
Natus ut in miſerum crudeli mente parentem,
Geſſerit haud iſto bella gerenda modo.
Frater ut inſomnis maculatus ſanguine fratris,
Venerit in Stygium flebilis umbra forum.
Supplicio miro ceu Rex cruciauerit hoſtem,
Vulture famoſam ſubijciente necem.
Vt tulerit regni ſedem pro carmine uates,
Quod nec Virgilio maxima Roma dedit.
Omnia fatidicis potes hic agnoſcere chartis,
Pectus ut optata commoditate iuues.
Sed quis in anguſto ſpaciari longius auſit?
Ecce breui noſter tramite currit equus.
Si ſapis, huc oculos intenta dirige cura,
Siue micat Titan, Cynthia ſiue micat.
Obſerues alacri uerſus in mente canoros,
Et tacito rerum geſta reconde ſinu.
Inuenies uitam, quib. emoderere uagantem,
Laudis, ut Herculeo more ſequaris iter,
Nil magis hiſtorijs homines in tuta reducit,
His minimè Regum uita carere poteſt.
Scipio ſe quoties hoſtile parabat in agmen,
Depictos ueteres inſpiciebat auos:
Sic & Alexander, totus cui paruit orbis,
Exemplis uiſis fortior ipſe fuit.

Demetrius Phalareus, maioribus inclytus auſis,
Virtutes ueterum quando legebat erat,
Cum belli præſtans Antonius arte Seuerus,
Magnanimo Martem uellet adire manu,
Hiſtorias ueterum prius aſpexiſſe ſolebat,
Has ſibi reſponſum duxerat eſſe Dei.
Hiſtorias igitur quas dat ſacra Muſa Boceri
Æternos uigili perlege mente dies.
Sic eris excellens factis, ſic prouidus omni
Parte, nihil dubia conditione feres.
Sed tibi quas referam Rex inuictiſsime laudes,
Auſpice qua laté tale legetur opus.
Quod nec flamma uorax, nec poſtera conteret ætas,
Sed uario ſemper fœnore fundet opes.
Dania te ſupplex extollit ad æthera celſum,
Subdita tutelæ gaudet & eſſe tuæ.
Te ſibi Rex maior non tempore contingit ullo,
Sublimis meritis, & pietate uales.
Hinc tua non ſero laus immorietur in æuo,
Notus eris factis, nomine notus eris,
Hinc Deus immenſo regno tua ſceptra beauit,
Tu tamen es regno fortior ipſe tuo.
Tu uelut æquoreis regnas Neptunus in undis,
Porrigit Oceanus ſceptra marina tibi.
Te colit hic totus cœli ſub uertice mundus,
Te colit in medijs Balthica Tethis aquis
En tibi quæ promptæ cantant præconia Muſæ,
Viuere perpetuos te faciuntq́; dies.

Præcipué

Præcipuè uati quia mens tua prompta Bocero,
Teſtatur clarias te coluiſſe Deas.
Quod proauos, atauosq; tuos, & ab ordine cunctos
Daniacos Reges Daniacosq; Duces,
Non ſinis obſcuris ultra latuiſſe ſub umbris.
Porrige iam uati munera larga tuo.
Non hic ficta canit, ueris tulit omnia chartis,
Clara uelut ſtirpis monſtrat origo tuæ.
Ecce canit Martem, canit aurea ſecula pacis,
Hic tibi uirtutes, quas imiteris, habes,
Producit peditum nimbos, clypeataq; campo
Agmina, tam uiua ſingula uoce canit.
Hic tua præfulget tecum præclara propago,
Aſpice, quæ Muſis gloria danda ſacris.
Harum præſidio notus, laudatur Achilles,
Hector & æterno nomine clarus erit.
Te quoq; poſteritas clara uirtute loquetur,
Gloria Muſarum tanta manebit ope.
Viue diu Rex magne, tuo felicior æuo,
Qui tbi uix ſimilem poſt habiturus eris.
Tu quoq; præſtantum uatum laus magna, Bocere,
Perpetuo fulgens carmine, uiue diu.
Dent ſuperi, nobis ut plura poemata condas,
Dum nunc floret adhuc læta iuuenta tibi:
Nam modo ter triplicis tangens confinia luſtri,
Das ſatis ingenij pignora magna tui.
Plura tibi canerem, memorem teſtantia mentem,
Sed uia te cogit, me mea cura uocat.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 69 [35,-56 8°]

L. IO. CODI. AD IO. BOCE. ELE.

I nobis rediture breui, fratremq́; fidelem
Sub memori ſemper pectore, frater habe.

NOLIT VELIT INVIDIA.

IN RE=

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 69 [35,-56 8°]

IN REGES DANIAE IOHANNIS BOCERI.

CARMEN IOHANNIS SCHOSSERI Poëtæ Laureati.

Nuper Hyperboream propius digreſſus ad ar=
Plenus Apollineo fonte Bocerus, erat. (ctos
Littus & intrarat, quo primum Danica tellus
Panditur æquoreis undiq́; cincta uadis.
Aſtitit intranti Nymphe laniata capillos,
Et malè compoſito conſpicienda ſinu.
Namq́; fuit totum corpus uelata papyro,
Quamq́; tulit ueſtem nil niſi charta fuit
Hæc niſi cum tineis cariem ſenſiſſet iniquam,
Inter honoratas poſſet habere locum.
Dania namq; tuis res olim regibus actas,
Inſcribi tunicæ iuſſerat illa ſuæ.
Sed fuit innumeris adeò fœdata lituris,
Vt, quæ ſcripta manu, uix legerentur, erant
Ante pedes igitur docti proſtrata Boceri
Nympha, dedit tales protinus ore ſonos.

Hiſtoriam me turba uocat, quæ geſta ſub arcto
Hic ubi ſe tollunt Danica regna, noto:
Multa quidem priſcis complector facta ſub annis,
Attamen ornatum non mea ueſtis habet.
Plenaq; barbarie cum ſit uarijsq; lituris,
Ante oculos Regum me uetat ire pudor.
At quia noſtra ſoror, quæ Baltica littora ſeruat,
Auſpice te cultu ſplendidiore nitet,
Oſtentatq; Duces Herulorum ſtirpe creatos,
E quibus Albertus nomina clara gerit:
Me quoq; ueſtitu ſimili feciſſe decoram
Et magnis dignam Regibus, ipſe uelis.
Sic tibi pro meritis perſoluat Dania grates,
Magnaq; de noſtro munera rege feras.
Commotus Nymphæ precibus uotiſq; Bocerus,
Non potuit largas non habuiſſe manus
Sed ueſtem tenero Muſarum pollice textam
Huic dedit, & cultum iuſſit habere nouum.
Vnde per excelſas Regum nunc ambulat aulas,
Et placet ob formæ ſpendida dona ſuæ,
Quæ male culta prius, tetris incluſa cauernis
Et iacuit multo ſquallida facta ſitu.
Dania num uati potes æquum reddere munus,
Qui dedit hiſtoriæ munera ſumma tuæ?
Vix tantum debet Venetum reſpublica Bembo,
Vix tantum Liui Martia Roma tibi:
Daphnea quantum redimito fronde Bocero,
Parrhaſio debes Dania iuncta polo.

DE REGIBVS DANIAE IOANNIS BOCERI, BERNHARDI Holtorpij Elegia.

SI genus eſt hominum, quod poſteritatis honores,
Comparat ingenij nobilitate ſui.
Iure ſacri uates decus immortale tuentur,
Qui Reges celebrant, magnanimosq; Duces.
Namq; ſuis præſtant mortalibus aurea ſcriptis
Commoda, Parcarum non rapienda manu.
Hiſtorias tractant, denſa quæ nube laterent,
Si foret Aonij fama ſepulta chori.
Hiſtorias edunt quibus inclyta facta per orbem,
Heroum numeris concelebranda, uolant.
Hinc pietas animi, ſuperis gratiſsima lucet,
Quæ fuit in ſanctis iure colenda uiris.
Hinc nitet aſtrææ, iuſta quæ lance gubernat
Omnia perpetuo laudis honore, decus.
Hinc nitet in magnis ſapientia cognita rebus,
Et graue conſilium, iudiciumq; patet.
Hinc nitet in miſeris conſtans patientia rebus,
Spicula fortunæ quæ ſuperare poteſt.
Hinc uigor ingenij, firmæq; audacia mentis
Emicat Heroum totaq; uita patet.
Quid moror, hic/fauſto cognoſcitur omine uirtus
Cuilibet optato concilianda modo.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 69 [35,-56 8°]

Hic quoq; uirtuti contraria facta malorum,
Pectore quæ toto ſunt fugienda, patent.
Omnia, quæ refero, monumenta ſalubria uatum
Cum titulis uaſto nota ſub orbe probant.
Carminibus uiuit laus immortalis Homeri,
Et decus æternum Muſa Maronis habet.
Quorum muneribus, uiuit quoq; magnus Achilles,
Et pius AEneas nomine fata premit.
Hectoris in mundo ſupereſt heroïca uirtus,
Et manet extincti ſummus Vlyßis honos.
Sic quoq; florentem Bocerus ad æthera famam
Tranſmittet, patriæ gloria prima ſuæ.
Qui cecinit magnos illuſtri carmine Reges,
Quos uetuit ſceptris Dania clara ſuis.
Euexitq; Duces ſublimi ſanguine cretos,
Sleſuuitij præſtans quos tulit ora ſoli.
His Comites iunxit claros, quibus inclyta quondam
Holſatiæ tellus ſubdita iure fuit.
Sunt Comites illic, quos Schouuenburgia tellus
Agnoſcit Dominos patria noſtra ſuos.
Clarus Apollineo quos omnes carmine uates,
Vexit ab inducto celſa ſub aſtra ſitu.
Laus igitur tanto debetur ſumma poetæ,
Hæc dedit ingenij qui monumenta ſui.

Epigramma

EPIGRAMMA IN REGES DANIAE CLARISSIMI

Poëtæ Ioan. Boceri.

Ὑμνεῖν ἀθανάτους, ὑμνεῖν ἀγαθῶν κλέα ἀνδρῶν,
κεῖνο μὲν ἀονίδων θέσκελον ἐστὶ γέρας.
ἔῤῥετε δυσσεβέες, θεομισέες, ἠδὲ βέβηλοι,
ᾄδοντες γλυκερῆς κύπριδος αἰσχρὰ πάθη·
ἔῤῥετε τερπόμενοι κατὰ θυμὸν σκώμμασι λυ-
ἀνθρώποις στυγερὴ οἷα φύτευσεν ἔρις. (γροῖς,
ὑμεῖς ἆρα κορῶν Διὸς οἷς φρεσὶν ἱρὰ μέμηλεν,
πιστοὶ ἀπόλλωνος μύσται ἀκερσικόμου,
πρῶτα θεὸν κτιστὴν κλείωμεν ὁμόφρονοι ὕμνῳ,
ἄμβροτον ἐν τρισσαῖς ὄνθ᾽ ἐν ὑποστάσεσιν,
ἤπιον, ἀΐδιον, κοἰκτίρμονα, ὀλβιοεργόν,
ἠδὲ φιλάνθρωπον, παντοκράτη τε θεὸν,
πατρὸς ἀγεννήτοιο κράτος, χριστόν τε λυτρωτὴν
ἔκ τε πατρὸς, χ᾽ ἡοῦ πνεῦμα πορευόμενον,
Δαβὶδ δὲ ζάθεον μιμούμενοι ἔργον ἄνακτος,
θεῖα πόθ᾽ ἑβραίοις ᾄσματα γραψαμένου·
δεύτερον αὖ ὑμνῶμεν ἀεὶ ἥρωας ἀγαυούς,
ὧν μεγάλη ἀρετὴ, καὶ μέγα ἐστὶ κράτος.
οὐ γὰρ οἱ ἀνθρώποισι θανεῖν εἵμαρτο, καὶ ἐσθλῶν
αὐτίκα χρὴ ἀρετὰς ἔμμεναι ὠκυμόρους.
Εὖ γοῦν ἡγεμόνας πρότερον κόσμησεν ἐπαίνοις
Βώκηρος, οὓς πύργου γαῖα τρέφεν μεγάλου.

ἐν

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 69 [35,-56 8°]

EPIGRAMMA.

νῦν δ' αὖ καὶ δανῶν κρατεροὺς βασιλῆας ἀείδει
Βώκηρος ἀονίδων λάτρις ἰοστεφάνων.
ὅστις ὁρᾷς δ' ἔθλον μὴ ἡδὺ πόνημα τόδ' εἶπε,
Βώκηρος ἐν θνητοῖς ἔνδια παντὸς ἄγει.

Nonis Maij.

Ioahannes Cheſſelius.

MICHAEL BARTH ANNAEBERGENSIS.

EST aliquid dulci celebrare cupidinis ignes,
Carmine, & hoc Venerem conciliare ſibi.
In quo tot uatum calami, linguæq; diſertæ
Ingenij uires exeruêre ſui.
Sed ueterum è tenebris Regum inclyta geſta, Ducũq;
Eruere, & patriæ laudis amore capi:
Nobilioris opus naturæ nemo negârit.
Eſſe, & maioris ſedulitatis opus.
Quod dum Bocerus præſtat, ſua nomina Regum
Nominibus iungens cuncta per ora uolat.

ALIQVOT LOCA IN HOC OPERE EXPLICATA, QVAE non facile intelliguntur á lectore rerum, & regnorum Aquiloniarum imperito.

Item nomina & loci authorum, ex quibus res quas tractauimus, deſumpſimus, indicati, ne quis ſine authoribus & hiſtoriarum teſtimonijs, nos de reb. arduis & magnis, leuiter aliquid dixiſſe, aut ſcripſiſſe exiſtimet. Quæ omnia uice annotationum beneuolo & cupido lectori eſſe poſſunt.

AD LIBRVM PRIMVM, IN DESCRIPTIONE DANIAE.

Prima ſub Aeoas tractu quæ tenditur oras,
Antiquum gentis Scania nomen habet.)

Situs Daniæ, & Inſularum diuiſio. Eſt enim totum Daniæ regnum per uarias inſulas diuiſum, quarum Scania & Iutia, uulgo Schonland, & Iudland, præcipuæ ſunt. Vide Saxonem Grammaticum Hiſtoricũ Danicũ. Albertũ Crantziũ lib. 1 Daniæ Cap: 1.

Sine Codanæo nomen tenet illa Peloro.)

Sæuo ingens & altiſſimus mons, nec Riphæis iugis minor, immanem usq; ad Cymbrorum promontoriũ (quod germanica lingua de Schagen appellamus.) efficit ſinum, qui Codanus uocatur, multis refertus

Inſulis,

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 69 [35,-56 8°]

Inſulis, quarum clariſsima Scandinauia eſt, nos illam Scaniam dicimus. Phi: Natu: Hiſto: cap: 4. lib. 13. Pomponius Mel. lib. 3.

Siue ſit antiquis hæc Balthia dicta ſub annis.)

Tradit Plinius Scandinauiam, à Zenophonte Lampſaceno Balthiam uocari, unde contiguum mare quod Balthicum dicimus, & præcipuus ſinus inter Holſatiam & Daniam, uulgo de Belth. nomen traxiſſe, credi poteſt.

Illa ſed à priſcis etiamnum nobile Cimbris,
Hanc quia gens tenuit Teutona, nomen habet)

Iutia præcipua Inſula regni Danici, quæ à Plinio & Ptolemeo Cherſoneſus Cimbrica dicitur, eodem Ptolemeo teſte, à Saxonibus habitata, & Germaniæ adiudicata eſt. Sed regnante Roe Rege Danorum, Helgo ipſius frater, occiſo prope ueterem Saxoniæ ciuitatem Stadium, in duello, Hundingo Regis Saxonum Sifridi, filio, Iutiam de manibus Saxonum eripuit, nec poſtea hæc Inſula Saxonibus paruit. Saxo Grā: lib. 1. fol: 15. Alb. Cran: in Saxonia li. 1. ca: 4.

Eidorus liquidis quà fluit amnis aquis:)

Eidorus fluuius Daniæ perinde ac Holſatiæ, ortus in profundiſsimo ſaltu, qui Iſeruho dicitur, ad occidentem currens, à mari Britanico excipitur, & Phryſios à Ditmarſis dirimit, limes Daniæ atq; Holſatiæ. ad quem fluuium ſæpe de imperio inter Saxones & Danos, non ſine cruore certatum eſt.

Orcades, & gelido procul hinc Islandia Pōto:)

Orcades

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 69 [35,-56 8°]

Orcades ultra Britanniam, & Hyberniam 30. numero inſulæ, ut Mela refert, ſæpe à Danorum Regibus uictæ, aut impetitæ. hodie parent Regi Schotorum.

Hic Thule ueteri nomine dicta iacet:)

Oceani Inſulæ duæ ultra Orcadas, quas Gormo Danorum Rex, ut Saxoni Gram: placet, adijt, & obtinuit.

Hebrides, & Phare:)

Nominantur in hoc ſeptentrionalis maris tractu multæ & uariæ inſulæ, inter quas illas ponit Munſterus, quas olim Reges Daniæ, cum ferè nullus Oceani ſinus armis eorum non ſit impetitus, obtinuerunt, & deprædati ſunt.

Tu quoq; nota graui nuper Gronlandia caſu:)

GRonlandia non ſine periculo & naufragio nauigantium, Inſula noſtris temporibus, antea incognita, reperta, de cuius ſitu, & conditione, & incolarum moribus nulli ſatis eſt expertum plura de huius terræ deſcriptione, & conditione uide Iacobum Zieglerum Geographum, in libello de regionibus Septentrionalibus. & de totius Daniæ deſcriptione, lege Dominicum Marium Geographiæ lib. 2. De ſex Regibus ſequentibus uide Saxo: Gram: lib. 1. Albertum Crantzium in Dania lib. 1. cap. 3. cum ſequentibus in Saxonia lib. 1. cap. 2. In Suetia lib. 1. cap. 12. & 13.

IN VII. RE.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 69 [35,-56 8°]

Primus hic Bois uicit Curetas in oris:)

Curetes populus Liuonum, qui proprium quondam Regem habuit, nunc partim ordini Teutonico, partim Epiſcopo ſuo paret. Vulgo Curland in Liuonia. Saxo lib. 1. Cran: in Dan. lib. 1. cap: 10 cum tribus ſequentibus, in Suetia lib. 1. cap: 17.

IN VIII. REG.

Canus ad infernos dicitur iſſe lacus:)

Haldanus interfectis fratribus, regnum ui arripuit, multaq; flagitia tyrannico more perpetrauit, tamen contra illud Iuuenalis.

Ad generum Cereris ſine cæde, & ſanguine pauci
Deſcendunt Reges, & ſicca morte Tyranni.

Admodum ſera ætate, tranqllè in patria mortuus eſt. Saxo Grā.lib. 2. fol: 15. Cran in Dania lib. 1. cap 13.

IN IX. REG:

Roſchildia ripas,
Hanc primum fauſta condidit ille manu:)

Roſchildia inſignis urbs regni Danici, 5 milliaribus diſtans à Hauffnia, ubi ſedes Regia hoc tempore eſt, primo cōdita à Rege Danorū Röe, longe antè Chriſtum natum. Saxo libro. 2. folio: 15. Crant. in Saxo: libro 1. capite 4.

IN X. REG:

Huius res præclarè geſtas lege apud Crant: in Saxo: lib. 1 cap: 4. Saxo. Gram: lib: 2. fol: 16. Crant: in Dania lib. 1. cap: 15 in Suetia libro 1. capite 18.

IN XI. REG:

Miſerabilem huius Regis cædem, eiusq; uirtutes & laudes resq; geſtas, lege apud Saxo: Gram: lib: 2. fol: 18 usq; ad finem libri. Cran: in Dania lib. 1. cap: 16 in Suetia lib: 1. cap: 19. & 20.

IN XII. REG:

Suetia cunq; iugum fato cogente ſecuta:)

Dania primum Rolphone extincto, Suetiæ ſubiecta eſt, ſed ſubito armis priſtinam libertatem, Hotero Rege uindice, recuperauit. Saxo libro 3. ab initio Cran: in Suetia lib. 1. cap: 21. in Dania lib: 1. cap: 17. Vide etiam libro 1. Crantzij in Saxo ut Regem Saxoniæ Gelderum uicit.

IN XIII. REG:

Huius res geſtas lege libro 3. apud Saxonem fol: 15 Cran: in Dania libro 1. capite 18.

IN XIIII. ET XV. REGES.

Plura de ijs, et Horuuendillo interfecto, et Ambleto filio eius qui paternam necem miro artificio eſt ultus, lege apud Saxo: lib. 3. fol: 13. Item libro 4. folio 33. Cran: in Dania libro 1. capite 19. & 20.

IN XVI. REGEM.

Suenones imperio fortis dum rexit Atislus:)

Huius Atisli fortiſsimi Suecorum Regis res geſtas latius lege in Saxo: Gram: libro 4. folio 33. Granz: in Suetia libro 1. capite 23.

IN XVII. REGEM.

Qui uirtute Vffo Daniam ab hoſtibus Saxcnicis liberarit, eiusq; res geſtæ, latius in Saxo. Gram: lib. 4. fol: 25. usq; ad finem libri: in Crant: lib. 1. cap. 21. in Dania lib. 1. cap. 6. enarrantur.

IN XVIII. XIX. XX. XXI. REGES.

De his Regibus qui plura legere uolet, illum eó, unde hæc deſumpſimus, remitto. Ad Saxo: Gram: in lib. 4. in fine. Crantz: in Suetia lib. 1. cap. 36. In Saxonia lib. 1. cap. 7.

IN XXII. REGEM.

Inde tuos ſuperat candens Hybernia ciues:)

Hybernia intra ſeptentrionem & occidentem Inſula, dimidio minor quàm Britania. Plin. lib. 4. cap. 16. Sæpius hanc Inſulam, & præcipuam eius Inſulæ urbem Dyſtinam, Danici Reges bello oppreſſerunt, uulgo Irlandt dicitur.

IN XXIII. REGEM.

Hoc Rege Frothone tertio, Daniæ ſceptra tenente, mundi ſaluator Chriſtus natus eſt, & eius res geſtas Saxo per totum lib. 5. Crantz. in Dan. lib. 1. cap. 28. 29. 30. 31. 32. latius deſcripſerunt.

IN XXIIII. REGEM.

Hiarnus poetices Danicæ peritus, ob Epitaphium Frothoni Regi defuncto, factum, Regnum Daniæ meruit. Saxo Gram: lib. 6, in principio. Crant: in Dan. lib. 1. cap. 33.

IN XXV

IN XXV. REGEM.

Ampliorem huius Regis, & rerum ſuarum cognitionem, lege apud Saxo: Gram. lib. 6. fol. 54. & 55. 56. Crantz: in Dan. lib. 1. cap. 34.

IN XXVI. REGEM.

Saxonicam ſtrauit magnis qui uiribus Hamam,
Hamburgi quo nunc mœnia nomen habent:)

Vrbs Hamburga, nomen ſortita eſt à Saxonum pugile Hama, qui cum Danica pugile Starcatero in eo loco, ubi nunc urbs condita eſt, congreſſus, proſternitur. in cuius memoriam tenue Caſtellum primo erectum ex quo poſtea excellentiſſima urbs, quæ rei memoriam retinuit, excreuit. Crant. in Saxon. lib. 1. cap. 11. Plura de huius Regis factis, & quomodo perierit lege apud Saxonem Gram. li. 6. fol. 50.

IN XXVII. XXVIII. XXIX. REGES.

Plura apud Saxon. lib. 6. fol. 57. Cran. in Dania lib. 1. cap. 37.

IN XXX. XXXI. XXXII. XXXIII. REGES.

De his Regibus uide Saxon. Gram. in lib. 7. Cran. in Dan. lib, 1. cap. 39. 40. in Suetia lib. 1. cap. 42. 43. in Dania lib. 2. cap. 1. 2. 3.

IN XXXIII. REGEM.

Haldanus moriens peregrino Danica Regi:)

Magna & inuſitata donatio, & præclarum munus, cui totum regnum in teſtamento legatur, ſicut Vnguinus Gothorum Rex ab Haldano Daniæ & Suetiæ Rege, hæres & regni ſucceſſor, in teſtamento ultimo conſtitutus eſt. Saxo Gram: libro 7. folio 47. Crant: in Dania libro 2. capite 4.

IN XXXIIII. REGEM.

De mirabili pudicitiæ Syritæ, & illius proci Otharl ardentiſſimo amore plura lege apud Saxonem libro 7. apud Crantzium libro 2 capite 5.

IN XXXV. REG:

Extat adhuc miſeri dictus de nomine pagus
Hagberti, ſummi ſignaq; nota poli:)

Pagus non procul à Sigari oppido, Hagbyr Danicè appellatus, ex infeliciſſimo amantium amore, & triſtiſſimo exitu eiuſdem, nomen perpetuum ſortitus, pluraq; de Sigari fortuna, & miſerijs. Saxo Gram. lib: 7. fol: 70. 71. Cran: in Suetia lib: 1. cap: 46

Quà ſtragis puteus, Valbrunnam nomine dicunt:) Valbrunna, latinè cadauerum, uel ſtragis puteus, locus uulgo in Dania notus, in qua miſerabili pugna, & ingenti, Haci Suetici, crudelitate, occiſus eſt Rex Daniæ Sigarus.

IN XXXVI. REGEM.

Mons Haci tumulum ſuggeſto culmine ſignat:)
Haci buſtum non procul à uilla Axelſtade, adhuc hodie fama celebris. Hoc Rege Siuualdo extincto

tincto, in Dania Principes loco Regum creati ſunt, cum regia proles aßiduis bellis eſſet exhauſta. Saxo Gram: in libro 7. folio 71.

IN REGEM XXXVII.

Hic fratrem diro congreſſum forte duello,
Ignarus diro uulnere ſtrauit humi:)

Haldanus, in Prußia fratrem uterinum Hildigerum cum 12. pugiles proſtrauerat duello, ignarus fratrem ſibi congreſſum, occidit, qua ex re ingentem concepit dolorem. Saxo Gram: lib. 7. fol: 72. Crantz. in Dania libro 2. capite 9.

IN XXXVIII. REGEM.

Illius genitor dum rura Selandia uaſtat:)

Selandia celeberrima Danici regni inſula, 30. patens milliaribus, ubi regia ſedes in urbe Hauffniaca noſtro tempore frequentatur: Huius Regis res geſtas latius lege apud Saxo. Gram: libro 7. usq; ad finem. Crantzius libro 2. capite 10.

IN XXXIX. REGEM.

Maximus & monſtrum ceu Poliphemus erat:)

Starcaterus Pugil & Gigas immenſi roboris & magnitudinis, de eius rebus geſtis lege Saxonem Gram: lib. 7. ibi etiam Olonis XXXIX Regis res geſtas inuenies. Plura de Starcatero & ipſius interitu Saxo Gram: in libro 8.

IN XL. XLI. XLII. REGES.

De miſerabili Daniaci regni dilaceratione & ſta-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 69 [35,-56 8°]

tu ſub his Regibus, amplius lege, lib. 8. Saxo: Grã: lib. 2. Cranz. in Dania cap. 24. 15. 16.

IN XLIII. XLIIII. XLV. REGES.

Munitæq́; nouum ſtruxerat arcis opus:)

Arx Iarmerici, quam tot gentium manubijs undiq́; locupletatus, miro artificio, & ingenti robore in altiſsima rupe ædificauit. & plura de eo. & ipſius coniugis Suauildæ, ſpetioſiſsima fœmina, miſerabili interitu, & Broderi filij Iarmerici, mirabili à ſuſpendio liberatione, lege Saxo: Gram: lib. 8. Cranz. in Dania lib. 2. cap. 17. 18.

IN XLVI. REGEM.

Iamq́; ſalus mundi, natus tria ſecula Chriſtus,
Adde annis geminis luſtra bis octo, fuit:)

Anno ſalutis humanæ. 384. Longobardi è Scania digreſsi, primo Rugiam, deinde Pannoniam, tertio Italiam, in qua ualidiſsimum regnum fundarunt, armis ſuis obtinuerunt. Vide Euſebium in temporum ſupputatione. Paulum Diaconum, Blondum de Longobardis. Saxon: Gram: in lib. 8. in fine &c.

Ruianis primum patrijs è finibus actis:)

Rugia inſula 7. miliaribus lata, in mari Balthico, è regione urbis Stralſundij in Pomerania, ſemper Vandalis fortiſsimis habita, & quondam proprijs Regibus &

bus & armorum potentia florentiſsima. nunc Ducibus Pomeraniæ paret.

IN XLVII. XLVIII. XLIX. REGES.

Priores duo Reges, Bior & Haraldus, nulla rerum gloria conſpicui. De Gormone multa & miraculoſa facinora Saxo. Gram: in lib. 8. in fine enarrauit.

Phninorum gelidā procul hinc Aquilonis ad Arctō:)

Phnini populi Noruuegiæ, miris uaticinijs, & Dæmonum præſtigijs ualere dicuntur, pallentes & reſuſpinati tanq̃ mortui diu iacent, deinde per aliquot horarum interualla, ad ſe redeuntes, ſurgunt ac incredibili aſſeueratione ea dicunt, & pronunciant, quæ trans maria, per multa locorum interualla facta ſunt. Plura de his Albert: Crant: in lib. 2. cap. 24. in Dania.

Hic qua perpetuas uomit Heckelfeldia flammas:)

Heckelfeldt in Islandia locus, mercatoribus eò nauigantibus notiſsimus, ubi infernæ ſedes, & Erebi eructationes eſſe creduntur. certum enim eſt uolitare ibi quaſdam umbras, quæ à nonnullis corporali ſpecie uiſuntur, ratio uero, cur illic inferni ſedes eſſe à multis ſuperſtitioſe creditur, ea eſt, Videlicet cum propter nimiam hyemis potentiam, Inſula Islandia, & iſtæ præſertim rupes, in quibus ſpectra uidentur, perpetua glacie, incredibili fragore, & horrifico ſono allidantur, huiuſmodi ſonitum immanem, & gla-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 69 [35,-56 8°]

ciei horribilem confractionem & alliſionem, animarum excruciatarum eiulatum, ſuſperſtitioſa antiquitas ementita eſt. Plura de his Cranzius & Saxo, locis allegatis.

AD LIBRVM SECVNDVM.

IN L. REGEM.

Gotricus illuſtres ad Balthica littora Danos:) Hic Gotricus Danorum Rex ab alijs Hiſtoricis Godefridus dicitur, eius bellum cũ Carolo Magno, lege apud Eginhartum Caroli Magni ſcribam, qui eius res geſtas breuiter ubi uitam eius deſcribit, complexus eſt, Item apud VVitichindum Monachum hiſtoricum Saxonum apud Helmoldum Slauicæ hiſtoriæ libro 1. capite 3. Saxo Gram: libro 8. in fine. Cran: libro 4 capite 1.

IN LI.

Indicat ad portas regia Lethra tuas:) Lethra oppidum á Rolphone Danorum Rege extructum, & eximijs regni opibus illuſtratum, ubi olim regia ſedes, nunc Hauffniæ in Selandia habita fuit. Saxo Gram: libro 2. fol: 17.

IN LII. LIII. LIIII. REGES.

Debellare ſtudet magicos cum claſſe Biarmos:) Biarmi populi ad ſeptentrionem citra Suetiam ſiti, miris præſtigijs, & arte magica celebres, qui diabolicis incantationibus fulmina & pluuias ex aëre

elicere poſſe dicuntur. Saxo Gram: libro 9. ubi plura de Regis Regneri bellis & rebus geſtis.

IN LV. LVI. REGES.

Vrbs iacet, & priſcis fuit Heideba dicta ſub annis,
At nunc Sleſuuitiam patria lingua uocat:)

Sleſuuitia primaria ciuitas Holſatiæ, quondam Heideba appellata, unde Duces nomen habent, in qua urbe poſtulante Diuo Anſchario Hamburgenſi Epiſcopo, Eccleſia cathedralis ſub Ludouuico Imperatore, Caroli Magni filio, primum erecta eſt. Helmoldus Cronicis Slauo: lib: 1. capite 5. Saxo Gram: libro 9. Cran in Dania libro 4. capite 10. & latius in ſua metropoli libro 1.

Quemq; ſinum roſeis preſsêre cadeuera limphis,
Regis hic à claro funere nomen habet.)

Siuardi Regis lacus, non procul ab urbe Sleſuuitia uulgo notus, ubi ingenti ſtrage utriuſq; exercitus uires exciſæ ſunt, uidelicet Siuardo ex Græcia redeunte, & regno Daniæ ab æmulis occupato Saxo Gram. libro 9.

IN LVII. REGEM.

Eſt lacus, & Dani Slyam cognomine dicunt:)

Slya lacus, propè quem templum Diuo Anſchario Sacrum extructum eſt, uulgo in Dania notiſsimus, in quo lacu multa millia Danorum D. Anſcharius, ſicut olim Ioannes Baptiſta Iudeos ad Iordani flumina, baptizauit. Cran libro 4. capite 13.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 69 [35,-56 8°]

IN LVIII. REGEM.

Tunc ô Saxonicæ flos inuictiſsime gentis
Concidis, hoſtili Bruno perempte manu:)

Bruno Dux & Princeps Saxoniæ, à quo nobilis & populoſiſsima urbs Brunſuuigum nomen ſortita eſt, Anno Chriſti. 860. prope uillam Ebbekeſtorp. cum aliquot Epiſcopis, & tota nobilitate Saxonica, à Danis & Normannis ad internetionem deletus. Crã. in Dan. lib. 4. cap. 14. in Saxo. lib. 2. cap. 31. Helmoldus in Cron. Sla. lib. 1. cap. 6.

Tunc Treuir uetus eſt crudeli milite uictus.)

Treueri (τρέυροι.) inter Belgas Galliæ populi in finibus Germaniæ, Neruis finitimi, apud quorum urbem Treuirorum nomine dictam, olim inſignis curia Romanorum, cognoſcendarum cauſarum gratia fuit. Vide Vopiſcum in Floriano.

Quæ uetus à Mogo nomen adepta tenet:)

Moguntia nomen ſortita à fluuio Mogo, nam prope hanc Mogus Rhenum influit.

Cui tribuit Phrygius nomina nota paris:)

Lutetiæ Parrhyſiorum alias dicta, uulgo Paris celeberrima Galliæ ciuitas, in qua Carolus Magnus anno Chriſti. 791. celeberrimam Academiam, adhuc hodie florentiſsimam erexit.

IN LIX. LX. LXI. REGES.

Scis

Scis ager Atrebatum, roſeo ſcis flumine ſchaldis:)
Schaldis Brabantiæ fluuius, qui celebre Emporium Antuuerpiam alluit.

Purpureis Macraq́; fluxit aquis:)

Macra fluuius Italiæ, qui ab una parte Liguriam tangit, Pluraq́; quomodo Dani & Normanni ab Arnulpho Imperatore extincti ſint. Vide Gram: in Saxonia lib. 2. cap. 32, Helmoldum lib. 1. cap. 7. Cran. in Noruueg. lib 1. cap. 15.

IN LXII. REGEM.

Primus & his poſitus de Cæſare Marchio terris:)

Henricus Auceps Imperator, in ueterem Saxonum Coloniam Sleſuuitiam, Marchionem impoſuit primo. Helmol. lib. 1. cap. 8. VVitichindus Monachus de rebus Saxonnm lib. 1.

IN LXIII. REGEM.

Vnde ſinus priſcis tellus & Othonia ſeclis:)

Vulgo die Otteuſundt ſinus cognominatus, de quo uide Helmol. lib. 1. cap. 9. Crant. in Saxo. lib. 3. cap. 25. VVitichindum lib. 1. Plura de Haraldi rebus geſtis apud Saxo. Gram. lib. 10. in principio & apud Crant in Noruuegia lib. 3. cap. 3.

IN LXIIII. REGEM.

De Suenone & ipſius impietate, & in Chriſtianos malitia, deq́; extrema eius ad Chriſti fidem, conuerſione,

conuerſione, pleraq; de rebus eius geſtis. Saxo Gram: libro 10. Hel. libro 1. capite 15 Cran. in Noruueg: libro 3. capite 5.

IN LXV. REGEM.

Gentis Iulinæ mœnia uicta ſubit:)

Iulina olim florentiſsimum Vandalorum emporium, & in mari Balthico celeberrima ciuitas, funditus euerſa, & maris alluuione deleta, cuius ciuitatis & gentis olim præcipua authoritas & potentia in ſolo Vandalico fuit, ſita autem fuit ea urbs in Pomerania non procul ab oppido VVollin, quod inde nomen traxiſſe credibile eſt. Helmoldus & Crantzius multis in locis huius urbis mentionem faciunt.

Rothomagum cineres defuncti ſeruat:)

Rothomagum urbs Galliæ, in qua Canutus Magnus ſepultus iacet. Plura de rebus geſtis Canuti Magni, lege aqud Saxonem Gram: libro 10. Cram: in Dan: libro 4. capite 25. cum aliquot ſequentibus in Nor: libro 5. capite 1.

IN LXVI. LXVII LXVIII REGES

De his tribus regibus & eorum rebus geſtis longam enarrationem, uide apud Sax: Gram: libro 10. & 11. a principio apud Crantzium libro 4. capite 27. cum ſequentibus Helmoldi lib. 1.

IN LXIX LXX. REGES.

Leges, quas iſte Rex Haraldus VII. tulit, apud

Sax

Sax Gram: latius explicãtur libro 11. circa finem. Crant. in Dania libro 4. capite 34. 35. 36. 37. ubi etiam omnia latius tractantu r, quomodo Canutus Rex á populo eſt interſectus.

IN LXXI. LXXII. REGES.

De ingenti fame, quæ huius Regis tempore Olaui III. fuit uide Saxo: Gram. lib. 12. in principio. Crant. in Dania lib. 4. capite 38. De peregrinatione Erici 4. ſimiliter Saxonem Gram in principio 12. Crant: in principio libri 5.

IN LXXIII.

In VVagrico ſed parua ſolo, tum regia ſceptra,
Regis & Henrici iura ſecuta fuit:)

VVagria ea pars Holſatiæ, quæ olim Vandalis erepta & Germanis habitata eſt, quæ ditio proprios olim Comites, qui Comites VVagriæ dicti ſunt habuit. Incipit uero á mari Balthico á ciuitate Aldenburgo, & tendit per fluuium Trauenam usq; in oppidum Todesloúium, & has ciuitates amplectitur, Aldenburgum, Lutkenburgum, Nyeſtadium, Segebergum, Plonam, &c In hac ditione VVagrica Lubecum florentiſsima ciuitas, huius Regis tempore, in loco, qui dicitur Suartauu, ædificata fuit. Sed propter Vandalorum crebras incurſiones, in eum, quo nunc floret, locum translata eſt Crant: in Sax: lib: 8. cap: 25. pluraq; de hoc Rege.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 69 [35,-56 8°]

Saxo. Gram. lib. 13. in principio. Cran. in Dan. lib. 5. cap. 6.

Nobile Ringſtadium monumento buſta perenni:) Ringſtadium oppidum Daniæ, ubi Diuus Canutus á Magno cæſus, ſepultus eſt. Hel. lib. 1. cap. 51.

IN LXXIIII. REGEM.

Pons ubi ſtat ueteri dictus cognomine VVera:) VVera pons in Dania, apud quem pontem ingenti prælio Ericus V. á Nicolao Rege uictus eſt. Saxo. Gram. in fine lib. 13.

Dictus ab antiquo nomine Fotha, iacet.) Fotha ſinus in Dania notus, apud quem Ericus V. Danorum Rex Nicolaum & filium Magnum grauiſsimo prælio fudit. Saxo. Gram. lib. 13. in fine.

Hunc ubi de medijs Scypdorpum cærula uillis:) Scydorpum uicus Iutiæ, in quo captus Haraldus Erici Regis frater, cum filijs ſubmerſus eſt, Saxo. Grá. lib. 14. in principio.

IN LXXV. REGEM.

Hæc niſus celeri truncat Olauus equo:) Epiſcopus Roſchildiæ in Ramloſa uico Selandiæ, truncatus ab Olauo. Plura de mutua pugna iſtius Regis cum Olauo Crant. in Dan. lib. 5. cap. 23. Saxo. Gram. lib. 14.

IN LXXVI. LXXVII. REGES.

Vidit &

Vidit & heu triſtes Vibergum flebile cædes:)

Vibergum inſignis Daniæ urbs, iuxta quam Sueno Canuti exercitum miſerabili ſtrage fudit.

Tempore quo ſæuis uaſtata Fionia Sclauis:)

Fionia inſignis Danici regni Inſula, paſcuis & nemoribus fertiliſsima, uulgo Fuenlandt. Plura de ciuilibus bellis Suenonis, Canuti & eorum interitu, & Valdomari Regis uirtute & potentia, lege apud Saxo. Gram. lib. 14. Crant. in Den. lib. 5. cap. 25. cum ſequentibus uſq; ad finem libri.

IN LXXVII. REGEM.

Rura petiturus ciuili Faltrica bello:)

Falſtria Daniæ inſula nobilis, & piſcibus fœcundiſſima.

Numen & horrendum ſancti uenerabile Viti,
Nomen ab inuerſa quod pietate tulit:)

SVuantcuith, antiquiſsimum Ranorum, uel Rugiorum Idolum, cuius hæc ratio eſt: Tempore Ludouici Imperatoris Caroli Magni filij, Sanctus Vitus è Corbeia profectus ad Rugianos, illos ad fidem Christi conuertit. Sed mutatis rebus, cum Rugiani fidem Chriſtianam reijcerent, Sanctum Vitum Martyrem, pro Deo colere cœperunt, uocaruntq; illum ex ſimilitudine nominis Suuantcuith, pro Sancte Vite &c. Helmol: in lib. 2. cap. 12.

At Leo muni:um dum fulminat ante Deminium
Vuolgaſti ualidas ille refregit opes.

Demynum & Volgaſtum urbes Pomeraniæ, ante Demynum ſecundus Comes Holſatiæ perijt Adolpus. VVolgaſti iam Ducis Philippi Pomeranorum curia celebratur. Plura de rebus geſtis Valdomari I. apud Sax: Gram: qui ipſius tempore uixit, & ipſius res geſtas lib. 14. 15. & 16. copioſe deſcripſit. Cran: in Dan: per totum librum. 6. Helmol: in lib. 2. cap. 12. 13. 14. Cran in Saxo: libro. 6. capite 43. in Vandalum libro 6. capite 13.

IN LXXIX. REGEM.

Arx de Reinoldo nomen adepta Duce:)

Arx Reinoldi, iam contracto uocabulo Rendeſburg dicitur, urbs in finibus Holſatiæ et Daniæ ſplendida, propter quam, cum utriusq; regni clauis, & robur ualidum habetur, ſummis uiribus inter Danos & Holſaticos, decertatum eſt ſæpiſsime,

IN LXXX. REGEM.

Vrbs iacet, & geminis circundatur undiq; Nymphis
Margine Vachneſis, glauca Trauena tuo:)

Vrbs Lubeca geminis fluuijs interclusa, Vachneſi, uulgo die Swachnitze, latiſsimo & profundiſsimo flumine, à ſeptentrione, & Trauena, qui naues in æquor ducit, à meridie, fluuius non latus, ſed uado profundiſsimo, etiã ut mediocribus nauibus onuſtis

ſit pan=

ſit paucis uelis nauigabilis, multum urbis indigenis utilis. Quomodo Rex ille Lubecum amiſerit, lege Crantz: in Saxo 4. libro cap 41.

Arx uetus á forti nomen quæ clara Leone
Continet, & ripis adiacet Albi tuis:)

Arx Leuuenburgk á Henrico Leone condita, ubi inferioris Saxoniæ Duces habitarunt, noſtro etiam tempore, in elato monte iuxta Albim fluuium, Ducum inferioris Saxoniæ habitatione nobilis.

At licet obſeſſum Segebergum milite:)

Segebergum munitiſsima Holſatiæ arx, quatuor miliaribus diſtans á Lubeca. olim á Lothario Imperatore condita, dicta quaſi mons ſalutis & uictoriæ, contra Danorum irruptiones. Cran. in Sax: libro 6. capite 4.

Cum Stadium triſti deleuit nobile clade:)

Stadium antiquiſsima Saxoniæ ciuitas, ſupra Hamburgum, ubi Albis in occiduum mare ſe exonerat, 5. milliaribus ſita.

Ille ſub Eois & bello Liuonas oris:)

Liuones populi ad Septentrionem ſiti, de quibus tota Liuonia, uulgo Lifflandt, nomen ſortita eſt, quam Valdomarus II. ad Chriſti fidem conuertit, et primum orbem Reualiam, uulgo Reuel extruxit, Cran in Dan

lib. 7. cap. 17. Idem in Saxon. lib. 7. cap. 27.

Namq; Suerinæus Comes in ſera uincula iactũ:)

Suerinum nobilis comitatus in ducatu Megapolenſi, ubi nunc munitiſsima arx, & Suerinæo lacu circumflua, adiuncta pulcherrima urbe, ab illuſtriſsimo Principe, & Muſarum Mecænati meritiſsmo Ioanne Alberto incolitur, in quo lacu Conradus Gesnerus mirabilium & præſtantium piſcium 30. ſpecies, capi affirmat. Quomodo Valdomarus II. ſit à Comite Henrico captus, lege Cran. in Saxo. lib. 7. cap. 38. in Dan. lib. 7. cap. 18.

IN LXXXI. REGEM.

Occiderat fato Dux VVenceslaus eodem.)

De martyrio & morte VVenceslai Ducis Bohemiæ, uide Aeneam Syluium in ſua Bohemica Hiſtoria. cap. 15. Crant: in Van: lib. 2. cap. 28.

IN LXXXII. LXXXIII. REGES.

De his Regibus Crant: in Dan. lib. 7. cap. 24. in Saxo: lib. 8. cap. 17. & 25.

IN LXXXIIII. REGEM.

Vrbs quam Coldingum ualidam complectitur arcē,
Primus hic è uili traxit in aſtra loco:)

Coldingum nobilis Daniæ urbs, mari finitima, in qua arcem

arcem primo Ericus VIII. erexit, De huius Erici interitu & rebus geſtis, amplius Cran. in Dan. lib. 7. cap. 24.

Tundera quæ ueteri nomine dicta fuit:) Tundera arx in finibus Daniæ & Holſatiæ, uulgo Tundern.

IN LXXXV. REGEM.

Pontifici peperit Lundia clara tuo:) Lundia inſignis Daniæ ciuitas, quam Archiepiſcopus Daniæ incoluit, fuitq; Lundenſis præſul omnium epiſcoporum ſummus & caput. plura de Erico IX. apud Crant. in Dan. lib. 7. cap. 25. cum ſequentibus.

IN LXXXVI. REGEM.

Vrbs quæ fraternos Stralſundia iuuerat hoſtes:) Stralſundia, germanice Sůndt dicta, inſignis & pulcherrima in Pomerania, ad littus maris condita ciuitas, è cunctis ciuitatibus maritimis ciuium multitudine, munitione, & decore non infima, hanc quidam à Valdomaro primo Danorum Rege, quidam à Iarmerico Pomeranorum Duce conditam uolunt. Plura de hoc Rege Cran. in Dan. lib. 7. cap. 27. cum aliquot ſequentibus. in Saxonia lib. 9. cap. 8. 10. 11. Item lib. 8. cap. 8.

Illius at gnatus Gottorpia mœnia pulſans:) Gottorpium inſignis & munitiſſima arx, prope urbem Sleſuuitiam in cliuo montis ſita, nunc Ducibus Holſatiæ paret, uulgo Gottorp.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 69 [35,-56 8°]

Quæ iacet urbs tenui nomine dicta Luba:)

Luba piſcator fuit, qui habitauit cum reliquis ſuis ſocijs eo in loco, ubi nunc floreñtiſsima imperij ciuitas Lubeca condita eſt, à quo Luba, cum uel piſcatorum ſupremus & capitaneus eius loci fuit, uel primum tenues caſas, ubi nunc ciuitas iacet, ædificare cœpit, nomen urbi manſit perpetuum.

IN LXXXVII. REGEM.

Qua Scalinburgo ſe clara Fionia tollit:)

Scalinburg arx in inſula Daniæ Fionia, apud quam crudeli ſtrage Dani ab ab Holſatijs extincti ſunt. Cran: in Dan: lib: 7. cap: 35. in Saxo: lib. 9 cap. 15.

Valdomarus ſummo cum non Lithuania Chriſto.)

Lithuani populi Septentrionales citra Pruſsiam ſiti, uulgo die Lituuauen, apud quos mulſum omnium præſtantiſsimum coquitur, iam ducatus Regi Poloniæ paret.

Hic ubi crudeles arx VVerdinburga ſagittas:)

Werdinburgk olim uaſtiſsima arx & præcipua Valdomari Regis ſedes, in Lalandia inſula ſita.

Dux cum Gryphe nigri qui gerit ora bouis:)

Caput Bucephali & Gryphes auratus, Ducum Megapolenſium inſignia.

Stargatij uictor mœnia celſa ſubit:)

Stargatium, uulgo Stargard, antiquiſsima in ditione Megapolenſi ciuitas, quæ proprijs ducibus aliquando

floruit

ſloruit. Etymologia nominis uero eſt Vandalica, & ſonat germanicé Stargard quaſi urbs antiqua.

Quæq; Lycaonio nomen ſuſcepit ab Arcto
Cingitur urbs, lenis qua Sprea currit aquis:)

Vrbs uulgo Berlino ſedes Illuſtriſſimi Principis & Electoris Ioachimi Marchionis, á minori urſa nomen ſortita, quam Sprea fluuius, qui ueteri nomine Sueuus nuncupatur, alluit.

Vna ſed aſtriuagæ gaudet quæ nomine Lunæ:) Luneburgum, ducatus Luneburgenſis ciuitas clariſſima, quæ nomen Phœbes, quæ Dea in hac urbe olim culta fuit, ſortita eſt, urbs Salinarum uenis uberrima, & nulli Germaniæ ciuitati hoc munere inferior.

AD LIBRVM TERTIVM.

IN LXXXVIII. REGEM.

Tuq; refer triſtes infelix Cymbria clades:) Cymbria, uulgo Das land zu fhemernn, paruula ſed fructuoſiſſima inſula, inter Daniam & Holſatiam ſita, hinc dicti Cymbri, populus uaria armorum irruptione quondam formidabilis.

Flenſburgumq; tuæ tempora dira famis:) Flenſburgum nobilis Holſatiæ ciuitas, mari contermina.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 69 [35,-56 8°]

Arx & ubi patrijs Rugeuualdum nobilis oris:)
Rugeŵaldt arx Pomeraniæ, olim firmiſſima.

Incola Dalmatiæ, modicisq́; parentibus ortus:)
Cæſarem Diocletianum intellige, qui è Dalmatia oriundus, imperio priuatus ſe abdidit, plura de rebus geſtis huius Regis, Crant. in Dan. lib. 8. ab initio. in Saxo. lib. 8. cap. 28.

IN LXXXIX. REGEM.

Stat uetus oppidulum ſuſpenſis nobile ſignis,
Marchia VVilſnacum nomine terra uocat:)

Vulgo ʒur ŵilſenack, oppidum Marchiæ, in quod ingens hominum turba quotannis confluere cōſueuit. Paulo enim ante noſtram memoriam, ſanguinem ſaluatoris noſtri, miracula uaria & incredibilia, ut paſſim ſigna ſuſpenſa demonſtrant, illic edere homines creduli putabant. Plura lege de hoc rege apud Crant. in Dan. lib. 8. cap. 22. cum ſequentibus.

IN XC. REGEM.

Hinc uiget à priſcis ſtirps Aldenburgia ſeclis.)

Comitatus Aldenburgenſis in dioceſi Bremenſi, nobilis & omnium ferè Comitatuum uetuſtiſſimus, ex quo originem ducunt Duces Holſatiæ, &c.

His genus à magni deſcendit origine Regis
Saxonicos tenuit qui Vuedekindus agros:)

Mechtildis nunquam ſatis laudanda fœmina, coniux Henrici

Henrici Aucupis Cæſaris, quæ filia fuit Comitis Thiaderici de Ringelheim, multi uero dicunt ipſum Comitem de Aldenburg fuiſſe, quia uerum eſt, quod in ijs locis Saxoniæ, ex quibus Henricus Auceps, & iſte Comes Thiadericus oriundi ſunt, Aldenburgenſi Comitatu, nullus eſt uetuſtior & nobilior. De hac re uide Vitechindum Monachum lib. 1. Cran. in metrop. lib. 3. cap. 25. Plura de hoc Rege Cran. in Dan. lib. 8. cap. 29. In Saxon. lib. 12. cap. 12.

Arx ubi de cupida dicta ſalute iacet:)

Arx Segeberg, quaſi arx ſalutis dicta.

Aſt ubi Traiectum Batauas ſuperminet urbes.)

Traiectum uulgo Vtrecht, nobilis inferioris Germaniæ ciuitas.

Ditmarſi duro genus intractabile bello:)

Ditmarſi populi Holſatijs finitimi, ſæui & agreſtes, qui nulli Principi parent, aquis & crebris foſſatis undiq; circundati, quiq;, reſolutis aquarum obſtaculis, hoſtes intromiſſos ſuffocant.

Sic cum Stormaria præſtans Ditmarſica tellus.)

Stormaria ea pars Holſatiæ eſt, in qua floremiſſima & populoſiſſima urbs Hamburga ſita eſt.

IN XCI. REGEM.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 69 [35,-56 8°]

Cum te Moſcouiæ patrijs dux læſit in armis :) Dux Moſcouiæ, qui totam Rußiam, quæ etiam Rutena dicitur, tenet, uulgo Der Grosfurſt uon der Muſchouu.

Vrbs & collectis capitur Stocholmia ſignis:) Holmia ſiue Stocholmia principalis & Regia urbs Suetiæ, quam Rex Suetiæ incolit. Plura de hoc Rege Cram. in 8. libro Dan in Saxo libro 13. capite 13. 15. 16.

IN XCIII. REGEM.

Teq; petit liquidis Hauffnia cincta uadis:) Hauffnia uuglo Koppenhagen, ciuitas Selandiæ, regalis ſedes Regum Danorum, in qua urbe Rex Chriſtianus tertius Academiam penè collapſam egregiè iterum erexit.

IN XCIIII. REGEM.

Arx & Tritouium medijs circundata ſyluis,
Et capitur tacita triſtis Othina manu.) Tritouium, uulgo Tuittouu, inter Lubecam & Hamburgam ſita, arx munitione firmißima.

Othyna arx quatuor diſtans milliaribus à Lubeca in Holſatia, ſedes Epiſcopi Lubecenſis. Plura de bello Regis Chriſtiani III. in Cronica Sebaſtiani Monſt. ubi Daniam deſcribit. Plura Hermannus Bonnus, quondam Lubecenſis Eccleſiæ ſupintendens. in Cronicis ſuis de rebus geſtis urbis Lubecæ. Item in appendice quæ cronicis Carionis adiecta eſt.

AD

AD LIBRVM QVARTVM.

IN I. COMITEM.

Rintelię ueteris conſpicit urbis opes.)

Rintelia pulcherrima urbs in ditione Comitum Schouuenburgenſium, ad ripas Viſurgis ſita, uulgo Kyntelen. De principio Comitum Schuuenburgenſium, qui poſtea Stormaria & Holſatia etiam donati ſunt, lege Cran: in Sax. lib. 8. cap. 26.

Egerat illuſtrem Mindæ ſub mœnia cœtum:)

Minda urbs uetuſtiſſima in finibus Saxoniæ & VVeſtphaliæ, in ripa Viſurgis ſita, in qua Carolo magno inſtante, Rex Saxonum VVedekindus, baptizatus eſt, dixitq; uernacula ſua lingua ad Imperatorem, ubi de Eccleſia erigenda admōeretur, hæc urbs erit Min vnd Din, ex quo Saxonico idiomate urbis nomen compoſitum eſt. Cranc: in Metro:

IN ADOLPHVM I.

Et ciues Herulæ concidit fortiter urbis:)

Herula ciuitas olim in ripa Vernouij, in ditione Megapolenſi, quæ ex uetuſta Herulorum gente, quæ nunc Megapolenſis dicitur, nomen & originem habet noſtro tempore penitus deleta.

Tum quoq; Cyßinæ deuicit mœnia gentis:)

Cyßini olim proprio imperio inter Vandalos, in ditione Megapolenſi, populus ferocißimus, cuius metropolis eo tempore fuit, Pagus non procul diſtans ab urbe Roſtochio, qui hodie adhuc extat, & nomen ciuitatis & gentis olim florentißimæ, magnitudine & latitudine indicat. Vulgo Kyßin. Plura de hoc Comite & eius rebus geſtis uide Helmol. lib. 1. cap. 36. 37. Crant. in Saxon. lib. 5. cap. 26. Helmol. lib. 1. cap. 49. Crant. in Saxon. lib. 5. cap. 28.

IN II.

Arx quam Cæruleis Alſtria ſtrinxit aquis:)

Alſtria fluuius Hamburgam alluens, qui à latere urbis orientali, latißimum & profundißimum a lacum efficit.

Hic quoq; Circipanum:)

Circipani hodie Roſtochienſes in Ducatu Megapolenſi, plura de actis rebus huius Comitis Helmol. lib. 1. cap. 44. Cran. in Vand. lib. 4. cap 3.

IN III.

Hic etiam Culicum de nomine condidit arcem:)

Arx olim firmißima in portu Tranemundæ Lubecenſium ſita, nunc diruta, uulgo die Muggenburg. Plura de hoc Comite Cran. in Metro. lib. 5. cap. 10. in Sax. lib. 6. cap. 26. li. 9. cap. 43. in Dã. li. 7. toto.

IN IIII.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 69 [35,-56 8°]

IN IIII.

Piſcifer intumuit tum Stora paluſtribus undis:) Stora fluuius Holſatiæ, unde ditio Stormaria, cuius Hamburga eſt metropolis, nomen habet.

Vrbs ubi de cunei nomine nomen habet:) Præcipua Holſatiæ ciuitas, uulgo zum Kyll. mutandis nummis urbs florentiſsima. Plura de hoc Comite Alden. Cran. in Sax. lib. 8. cap. 41. in Dan. lib. 7. cap. 28. in Saxon: lib. 7. cap. 29.

IN V. & VII.

Quaq; Todislouij nemoroſis abdita Syluis:) Todislouuium urbs Oldenslo, 4. diſtans milliaribus à Lubeca Hamburgam uerſus, quod oppidum olim limes fuit Holſatiæ.

Progeniem niuei quam decus auget equi:) Equinus pullus in albo colore inſignia Ducum inferioris Saxoniæ uetuſtiſsima.

Et Reinueldenſes iuſsit adire lares:)

Cœnobium nobile in Holſatia duobus milliaribus distans à Lubeca, uulgo Reinefeldt, ab III. Adolpho extructum, in quo cænobio Comites VVagriæ ſepulti ſunt. De quibus Comitibus VVagriæ plura Cran. in Saxo. lib. 8. cap. 23. in Dan. lib. 7. cap. 24. in Saxo. lib. 8. cap. 26. 27. lib. 10, cap. 13. in Metro. lib. 8. cap. 6. in Dan. lib. 7. cap. 22. & 23. in Van. lib. 6. cap. 26.

Sed quas

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 69 [35,-56 8°]

Sed quas Itzouias frater pius extruit ædes:)

Vulgo Itzeho cœnobium uirginibus ueſtalibus in Holſatia ſacrum, à Gerhardo I. conditum.

IN VIII. ET IX.

Continet á forti mons ubi nomen equo:)

Vulgo Der Heſterberck, apud quem Gerhardus Regem Danorum Chriſtopherum uicit Plura de rebus Geſtis huius Comitis Cran. in Sax: lib. 9. cap. 8. ubi miſerabilis pugna Holſatiorum anno 1032. in Ditmarſos largius deſcribitur.

IN X. ET XI.

Sex horis refluas ſentit & Albis aquas:)

Maris fluxus & refluxus alternatim ſex horis, perpetuo Hamburgam alluit, et ſex horis eſt altior aqua & creſcit, ſex horis demiſsior & decreſcit.

Arx tunc occiduo tenuit quæ nomina Ponto:)

Arx Germanicé Weſtenſehe appellata, eo tempore diruta.

Templaq; de patula quæ cum Iouis alite fago
Nomen habent:)

Cœnobium à Nicolao Comite conditum. uulgo Die Arnſböecke, duobus diſtans milliaribus à Lubeca, domus Chartuſianorum fratrum, de rebus geſtis Henrici Ferrei, & Nicolai fratris, lege plura apud Cran. in Saxo libro 9. cap. 12 31. 32. 17. libro 19. cap. 8. & 11 In Dania libro 7. capite 39. in Suetia lib. 5. capite 38. 30.

IN XV.

At ſex Vandalicis notæ cultoribus urbes:) Die ſechs Wendiſche Stedt uidelicet: Lubecum, Hamburgum, Roſtochium, Stralſundia, Vuiſmaria, & Luneburgum, quæ ciuitates adhuc hodie ſex Vandalicæ ciuitates dicuntur. Plura de crebris bellis & mutuis Daniæ & Holſatiæ ſub hoc Duce Cran: in Saxo. libro 10. capite 23. 25. 38. 40. in Dan. libro 8. capite 1. 4. 7. 12.

IN XVI. ET XVII.

Qui pia de Chriſti nomina gente tulit.) Chriſtianus I. de nobili & uetuſtiſsima domo Comitum de Aldenburg, primus eius familiæ Rex Danorum De his Comitibus plura Cran in Saxo. lib. 11. cap. 21. 31. in Dan. lib. 8. cap. 14. 19. 22. 26. 29.

AD LIBRVM QVINTVM.

IN X. COMITEM.

Tranſit & undoſæ frendens loca uaſta Bilenæ:) Bilena fluuius Holſatiam à parte Auſtrali alluens. De bello militarium quorundam cum Comitibus Holſatiæ, uide Cran. lib. 8. Saxo: cap. 37.

IN XIII.

Namq; ubi uirgineis floret Valtorpia tectis:) Vulgo Waldorps nobile VVeſtphaliæ cœnobium. Cran: in Metro: libro 8. cap: 6.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 69 [35,-56 8°]

IN XXVII.

Hinc nunc Gemmitiū ſtirps Schouuenburgia nomē:) Die von Gemen nobilis ſtirps in VVeſtphalia, cuius Dominum dotis nomine ad Schouuenburgios Comites uenit, unde titulus Comitibus hodiernis additur. Herren zu Gemen, &c.

IN XXII.

Qua iacet inuictis arx Buckenburgia muris:) Vulgo die Buckenburgk oppidum & arx munitiſſima, in ditione Comitum de Schouuenburg, diſtans duobus milliaribus à Minda.

IN XXIII.

Eſt uetus & largis illuſtris Hagonia campis
Adiacet:)

Hagonia, uulgo zu dem Stadthagen, urbs cum arce inſigni, pulcherrima noſtro tempore, Illuſtrium Comitum de Schouuenburg, ſedes.

IN XXIIII.

Arx genuit captum diri cum clara Draconis:) Arx Draconis, uulgo die Drackenburg, inter ciuitates Mindam & Bremam, in ripa fluuij Viſurgis, ſita. iuxta quam arcem Dux Ericus Saxoniæ, contra Bremenſes anno 1541. infeliciter pugnabat.

IN XXV.

Coniuge de Druſi mœnia dicta rigat.) Coloniæ Agrippinæ.

FINIS

Catalogus

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 69 [35,-56 8°]

CATALOGVS REGVM DANIAE.

A.

Abel

B.

Buthlus

Broderus

Bior

C.

Canutus I.

Canutus II.

Canutus III.

Canutus IIII.

Canutus V.

Canutus VI.

Chriſtopherus I.

Chriſtopherus II.

Chriſtopherus III.

Chriſtianus I.

Chriſtiernus II.

Chriſtianus III.

D.

Dan. I.

Dan. II.

Dan. III.

E.

Emundus

Ericus I.

Ericus II.

Ericus III.

Ericus IIII.

Ericus V.

Ericus VI.

Ericus VII.

Ericus VIII.

Ericus IX.

F.

Frotho

Fengo

Frotho II.

Fridleuus

Frotho III.

Fridleuus II.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 69 [35,-56 8°]

Frotho IIII.
Frotho V.
Frotho VI.
Fridericus.

G.

GRAM.
Gormo I.
Gotricus
Gormo II.
Gormo III.

H.

Humblus
Hadingus
Haldanus
Helgo
Hotherus
Hugletus
Hieruus
Haraldus I.
Haldanus II.
Haraldus II.
Haldanus III.
Haraldus III.
Haraldus IIII.
Hemmingus
Haraldus V.
Haraldus VI.
Haraldus VII.

I.

Iarmericus
Ingellus
Iohannes.

L.

Lotherus.

M.

Magnus.

N.

Nicolaus.

O.

Olauus I.
Olo.
Olauus II.
Olauus III.

R.

Roe
Rolpho
Roricus
Regnerus

S.

Skioldus
Siuualdus I.
Sigarus
Siuualdus II.
Siuardus
Siualdus III.
Snio

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 69 [35,-56 8°]

Siuardus II.
Siuardus III.
Suenotho.
Sueno
Sueno II.

V.

Vffo
Vnguinus
Valdomarus I.
Valdomarus II.
Valdomarus III.

VV.

VVigletus
VVermundus

CATALOGVS DVCVM SLESuuitiæ & Holſatiæ.

A.

Adolphus I.
Adolphus II.

F.

Fridericus

G.

Gerhardus I.
Gerhardus II.

H.

Henricus

I.

Ioannes.

CATALOGVS COMITVM.

A.

Adolphus I.
Adolphus II.
Adolphus III.
Adolphus IIII.
Adolphus V.
Adolphus VI.
Adolphus VII.
Adolphus VIII.
Adolphus IX.
Adolphus X.
Albertus
Antonius
Albertus II.

E.

Ericus.
Erneſtus

G.

Gerhardus I.
Gerhardus II.
Gerhardus III.
Guilhelmus

H.

Henricus I.
Henricus II.
Henricus III.
Henricus IIII.
Henricus V.

I.

Ioannes I.
Ioannes II.
Ioannes III.
Ioannes IIII.
Ioannes V.
Ioannes VI.
Iodocus
Iodocus II.

N.

Nicolaus.

O.

Otho I.
Otho II.
Otho III.

ERRATA TYPOGRAPHICA

IN PROOEMIO.

Pegaſæus lege Pagaſætus. Labdacidas leg. Labdacidûm. fol. 1. Hic leg. his. fol. 2 hinc leg. huic. fol. 7. Suetia cumq; leg. Suetiacumq;. fol. 10. Vno leg. Vni. fol. 11. Daanicas leg. Daniacas, folio eodem condidit leg. concidit. fol. 12. euictus leg. euictis. fol. 12. Hiarum, leg. Hiarnum fol. 14 uulnere, leg. uulnera fol. eod. partis leg. prædis. fol. 15. domo, leg. dolo. fol. 19. paucis, leg. pacis.

eodem

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 69 [35,-56 8°]

eodem. Suetis,leg. Suecis. fol. 20. ullus, leg. ultus. fol. 23. exierat, leg. exierant. eodem, natos leg. notos. fol. 24. Phimorum leg. Phinnorum. eodem, plantasmata leg. phantasmata. fol. 35. patijs leg. patrijs. eodem, ſydera ſtruxit, leg. uexit. fol. 32. hoc, leg. his. eodem, condidit leg. concidit fol. 33. agmina leg. agmine. eodem celebris leg. crebris. fol. 34. Noruagica leg. Noruuegica. fol. 35 hoc leg. huic. eodem, in Canuto II. uerſ: 5. quæ leg. cum. fol. 37. in Suenonem II. in uerſ: 11. ſtructus leg. ſtructis.

fol. 41. in Nicolao Reg: uerſ. 9. dicta leg. dictæ. in eodem. uerſ. 23. porenti leg. potenti. in eodem, uerſ. 27. huic leg. hunc. in eodem uerſ. 37: Vuarico leg. Vuagrico. in eodem debita multiplici, leg. dedita

fol. 42. in Erico IIII. uerſ. 20. iura leg. rura. in eodem uerſ. 43. at leg. ac. fol. 45. in Suenoni III. uerſ. 42. orbe leg. urbe. fol. 47. in Valdomaro Rege, in uerſ. 3. patra, leg. patria. fol. 48. in Val=domaro, in diſticho 53. ſors leg. fors. fol. 49. in Canuto VI. in uerſ. 36. Holſtadij leg. Holſatij. in eodem uerſ. 48. Holſtatici leg. Holſatij. fol. 50. in Canuto II. uerſ. 7. Holſtatico leg. Holſatico. in eodem uerſ. 22. Albis lege Albus. in eodem uerſu 28. Arbis leg. urbis. in eodem uerſ. 34. ſtrictu leg. ſtricto. in eodem uerſ. 50. Holſtatico leg. Holſatico. fol. 51. in Erico VI. uerſ. 7. Tyrãnus leg. Tyrãnis. fol. 55. in Chriſtophero II. uerſ. 38. Non gentis leg. Nongentis. folio eodem, & alibi, pro Holſtaticos,

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 69 [35,-56 8°]

ſemper lege Holſaticos abiecta t litera. fol. 56. in Valdomaro III. trinas leg. trinas, fol. 57. uerſ. 16. Seuit lege ſueuit. fol. 59. uerſ. 19. Sleſuitiæ leg. Slſeuuitiæ. fol. eodem Erymis. leg. Erinnis. fol. 61. in Chriſto: III. uerſ. 1 Bauorum leg. Bauarorum. Eodem, uerſ. 4. extremo leg. externo, fol. 62. uerſ. 36. timuit leg. tenuit eod. uerſ. 39. cōtulit leg cōtudit. fol. 63 uerſ. 50. icto lege iſti. fol. 66. uerſ. 9. clau ſalice, leg. clauſa licet. eodem, uerſ. 12. porrigit leg: porriget. fol: 67. uerſ: 45. triſtatur leg: triſtatus. fol: 68. uerſ: 13. Raimaundus, leg. Raimundus, folio eodem uerſ: 59 fleuſburgum, leg: flenſburgū. fol: 69. uerſ: 25. ergo leg: ego. fol: 70. uerſ: 29. ſignis, leg: ſegnis. fol: 72. uerſ: 41. pucherrima leg: pulcerrima. fol: 73. uerſ: 7. ut leg: At. eodem fol: uerſ: 27 Trauerna leg: Trauena, fol: 75 uerſ: 16 dederis leg: dederit, fol: 76 uerſ: 2 cura leg: cara, fol: 78 uerſ: 3 contemptu, faſtu, leg: contemto faſtu, fol: 79: uerſ: 16 pax leg: par, fol: 80 uerſ: 34 poſt conſpicit leg. ire Duces. folio 82 uerſu 21 Blucterus leg: Bructherus, fol: eodem uerſ: 31 hæc leg: hanc, eodem uerſ: 40 ductus leg: dictus, eodem fol: uerſ: 53 non in honore, leg: Non inhonora, fol: 84 uerſ: 11 quicq̄ leg: quisq̄, fol 85 uerſ: 17 hoc leg: hunc, eodem fol: uerſ: canit leg: cadit, fol: 60 uerſ: 8 Tranemunda, leg: Trauemunda, fol: 89 uerſ: 22 preces leg: neces, fol: 90 uerſ: 3 Luteria lege Lutetia

eodem

ERRATA.

eodem fol. uerſ. cōuerſo uerſ. 3. auget lege augent. fol: 96 uerſ: 18 ſorſue, leg ſorſne, eodem fol: uerſ. 23 nimis, leg: nimius, tumor leg: timor, eodem fol: uerſ: 38 tacti, leg: tecti, fol: 87 uerſ: 24 condidit leg: concidit, fol: 98 uerſ: 41 hoc leg: hos fol: eodem uerſ: 50 impoba lege improba, folio eodem uerſ: 54 Liuouiæ leg: Linouiæ, fol: 99 uerſ: 1 pulſum leg: pullum, fol: 102 Todilouij leg: Todislöuij eodem fol: uerſ: 41 dignamur leg: dignatur, fol: 103 uerſu 12. Sleſuitios lege Sleſuuitios. folio 110 uerſu 16 poſtgladios lege dextra uincla folio 111 uerſu 39 lutia lege Iutia, folio 112 uerſu 13 beatur lege beauit, 113 uerſu 17 nomine lege nomina, folio 115 uerſu 3 orbis lege oris, folio eodem uerſu 36 poſt tibi, lege Septemuir, uerſu ſequente, fortuniæ lege fortunæ, folio 116 uerſu 19 fulit lege fudit, eodem folio uerſu 40 ſic lege ſis, folio 121 uerſu 6 Sleſuitiæ lege Sleſuuitiæ, folio 123 uerſu 46 contingit, lege contigit folio 124 uerſu 36 ſpendida lege ſplendida, folio 127 Aquiloniarum, lege Aquilonarium, folio 143 numerus de pugna Erici Ducis Saxoniæ contra Bremenſes ſic debet reſtitui 1547.

LIPSIAE
EX OFFICINA GEORGII HANTZSCH.
ANNO M D LVII.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 69 [35,-56 8°]

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 69 [35,-56 8°]

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 69 [35,-56 8°]

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 69 [35,-56 8°]

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 69 [35,-56 8°]

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 69 [35,-56 8°]

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 69 [35,-56 8°]